

Theophilus Siegfried Bayer

**Theophili Sigefridi Bayeri, Regiomontani, De Numis Romanis In Agro Prvssico
Repertis : Commentarivs In Qvo Tvm Nvmi Ipsi Illvstrantvr, Tvm Alia Ex Romana
Et Prvssica Antiqvitate Tradvntvr**

Lipsiae: Gleditzschius, 1722

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn642330395>

Druck Freier  Zugang



THEOPHILI SIGEFRIDI
BAYERI,
REGIOMONTANI,
DE
NUMIS ROMANIS
IN
AGRO PRUSSICO
REPERTIS,
COMMENTARIUS
IN QVO TVM NVMI IPSI ILLVSTRAN-
TVR, TVM ALIA EX ROMANA ET PRUSSICA
ANTIQVITATE TRADVNTVR.
ACCEDIT EIVSDEM EPISTOLA AD V.C.
DE
THEOPHRASTI DELII PRÆSIDIS
MONVMENTO.

LIPSIÆ,
APVD JOH. FRIDERICI GLEDITSCHII B. FIL.
M DCC XXII.

F

Vism. - 1367.

S V M M A C A P I T A .

- I. **R**omani numi in agro nostro non nuper sunt amissi, neque a Romana colonia, equitibus Marianis aut Herulis inuecti: peregrini numi per mercaturam & bella in multas regiones vulgantur.
- II. Ante Neronis principatum mercatores Romani in Prusiam non venerunt: succinum per Gracos cognouerunt, autore Plinio. per Corinthios an Tarentinos? quantum Corinthiis de rebus Prusiacis constiterit? Osericta Mitbridatis & Basilea Pythea est Sembia nostra. Pythea Guttones qui fuerint? Graci hac litora non attigerunt. Verosimilius est Plinium de Tarentinis esse locutum. Tarentinorum mercatura & luxus. Veneti non ab Pannonibus, sed ab Illyriis eque ac Tarentini succinum mercati. Plinius impugnat. Posterius Romani succinum ex Pannonia petiuerunt ac denique ex Norico & Vindelico agro, ab Hermunduris: quibus viis Romam fuerit deuectum?
- III. Ultra Albim Romana arma non processerunt: natura & positus nostra terra per Germanos sunt cognita. Succinum rude perserebatur Romam. Qui artifices Romae laborauerint succinum? Nero succina amavit. Munus gladiatorium Nero edidit, cuius omnis apparatus e succino fuit. Plinius illustratur. Quis Julianus procurator fuerit? quo anno editum sit munus? quo anno succinum e Prussia sit allatum ab equite Romano? Gleba succini XIII. librarum. Quae in theatro Neronis succinea fuerint? Cur nulla eius monumenta muneris exstent?
- IV. Eo tempore primum Romana moneta Prusis innotuit. De numo Neronis apud nos inuento. Succinum quando Romano orbi deserit inferri? Numquam postea restituta succini mercatura. Nerigon Plinii quae fuerit?
- V. Ante Marianos equites in Prussia numi Romani fuerunt. Numus hoc docet Julia Mamae in agro Galindico repertus. Is ager ante Marianos equites & diu postea solitudo fuit. Antiquissimis temporibus numquis usus pecuniae Romanae in Prussia fuit? Item in Germania? Inde in ceteras terras sub Septentrione positas pecunia

peruase. Borusfi, si non pretii, saltem curiositatis amore, ut hospitale munus, Romanos numos acceperunt.


VI. *Tanta copia numorum Antoninianorum debetur expeditioni Sarmatica. Cum quibus gentibus bellum sit gestum? Peucini qui? Antoninorum numi in Polonia & Curonia. De Crispina numo. CPlitani numi per Alanorum cum Byzantiis bella ad nos peruenere. Graci mercaturas succini posterioribus temporibus non exercuerunt. Laonicus Chalcocondylas restitutus. Persa, Syri, Arabes succino nostro numquam sunt vsi. Ambra quid? Eccardi coniectura expensa. An Sini succinum nostrum cognoscant? De numo scutellato. De Byzantiis numis. Eorum in Prussia nullus umquam vsus fuit. Hartknochus & Georg. Daniel Seyler confutantur. Byzantii in Germania num non fuerint? Locus ex Consuetudinibus Ordinis expensus.*

VII. *Quis vsus Romanorum numorum in Prussia fuerit? In tumulis conditi. Ut apud Romanos, Turcas, Gotbos, Francos. Supellectilia a Germanis & Prussis condita in monumentis. Reticulum Poggie. Aurum in Elbingensi urna. Vnic succineus in urna Lilienthalii. Monumentum Stablacorum illustratur. Monumentum Cosarcense. Quamdiu modus ille sepeliendi in Prussia superfuerit? Superstitio in Saxonia diu, in Curonia adhuc superstes. Corona sepulchrales. Numi plures in agro, quam in urnis reperiuntur. Quomodo id acciderit? Coniectura Friderici Vilelmi M. Electoris. Cur Prussi pecuniam contumularint? An in sacros lucos isti numi fuerint abiecti?*

VIII. *Qui numos huiusmodi collegerint aut memorarint? Caspar Schuzius. Matthaeus Pratorius. Andreas Hedio. Godofredus Villamouius. Jo. Reyher. Georgius Andreas Heluingus. Renaldus Perbantus. Jo. Ridelius. Philippus Jacobus Hartmannus. De eius antiquitatibus Prussicis. David Blasingsus.*

IX. *Numi, quos inuentos aut vidi aut ipse possideo. Domitiani. Antonini Philosophi. Faustina vtriusque. Commodi. Crispina. Gordiani III. Philippi filii. Galliensi. Aureliani. Seuerina. Claudii Gothici. Constantii & Valentis.*

DE



DE
NUMIS ROMANIS
IN
AGRO PRUSSICO
REPERTIS.

CAPUT PRIMUM.



On est verosimile, Romanos numos, quos in agro nostro reperimus, amissos temere fuisse, inde ab eo tempore, cum majores nostri ceterarum aemulatione gentium, veterem aeruginem in thesauros inferre instituerent. Nam sero apud nos haec Romanae antiquitatis pars studia & ora hominum in se conuertit, patrum denique nostrorum memoria. Numi autem Romani jam antea diuersissimis locis & alicubi altius sub terra, nonnumquam haud procul a buftis & in urnis denique inuenti sunt. Quod aliter erat futurum, si ab annis quinquaginta, quibus his antiquitatis studiis, aut ad ducentis omnino, quibus suus omnibus litteris honos est apud nos habitus, abiecti siue amissi essent. An a Romanis, ab Herulis, a Germanis veteribus aut Marianorum signa & vestigia secutis, ac, a quibus denique maiores nostri acceperint, nemo ad hoc vsque tempus magnopere quaesuit. Haud aequae tantam patriarum rerum incuriam fero, praesertim cum ad veterum lucem monumentorum nihil eiusmodi omitti & negligentius tractari conueniat.

Vix in mentem mihi venit, Romanam coloniam in has terras commigrasse. Non inuideo commentum Polonis auctoribus, multo autem magis miror, Alberto Coialouitio vni omnium facif-

A

gacissimo scriptori probari. Habent utique istius conditores coloniae, aliquanto plura in speciem argumenta, quam, qui post Albertum Stadensem & Gobelinum Personam ex Alexandri militibus profectos aliquos in Prussia consedisse prodiderunt: aequae uana persuasione, quam cum Othofridus Francis & Vitechindus Corbeienfis Saxonibus huius laudem originis vindicarent. Sed cum post bellum a Caesare gestum Romanos huc in exilium progressos dicunt, adjuuandi paullulum sunt ex Appiano, ut sciant, post victoriam Augusti in campis Philippicis, partem nobilitatis, quae Brutum secuta fuerat, in Traciam, sociam gentem, aufugisse, inde proditos per Rascum, ulteriora petere maluisse. Enim uero non modo, qui talia referat, sed etiam, qui operose confutet, indigne antiquitatis verecundiam pudoremque habere videtur.

Cum Mariani in Prussiam venirent, omnis Romanorum usus numorum in Germania dudum desierat: & multo antiquiores numi inueniuntur, quam ut Herulis in Italia obuuisse indeque ab illis in has terras perlatos uerosimile sit, dum interim illorum numos temporum non aequae hic inueniri meminimus. Aliquanto congruentius ueritati Mathias Praetorius in antiquitatum Prussicarum vasto opere MS. censuit, ab expeditione quadam Romana numos hos repetendos esse. Secundum quam sententiam uerosimillimum mihi uidetur ab Romanis & Teutonis negotiatoribus perferri ad nos potuisse.

Quem enim latet, per militiam & mercaturam peregrinos mores & usus vulgari? Velleius Paterculus memoriae prodidit, sic uniuersam Pannoniam non disciplinae tantum modo, sed linguae quoque Romanae notitiam, denique litteras accepisse: & Julius Caesar, Belgas tanto longius a cultu & humanitate Romanorum abfuisse, quanto minus a mercatoribus adirentur. Arrianus autem, vel quisquis peripli maris Erythraei auctor fuit, etiam in India Graecam pecuniam per Macedonum inuasionum atque Alexandrinis mercaturas receptam esse tradidit, ἀφ' ἧς, inquit, μέχρι νῦν ἐν Βαρυγάταις παλαιοὶ προχωροῦσι δράχμαι, γράμμασιν Ἑλληνικοῖς. Quem locum Salmasius ad Plinium ita explicat, ut numos non inuento s (quod ueteris interpretis uersio sonat) sed in communi citium usu adhibitos esse intelligamus. Ac ne quis putet, loqui eum tantummodo de Appollodoti & Menandri, Graecorum hominum, qui in India regnarunt, numis, rursus idem inter merces Indi-

cas

cas numerat, *θηναίριον χρυσῆν καὶ ἀργυρῆν, ἔχον ἀλλαγὴν καὶ ἐπὶ κέρδειάν τινα πρὸς τὸ ἐν τόπιον νόμισμα.* Quae autem commutatio numerum Graecorum Indicorumque esse potuit, nisi Graecis auri argentique Indici pretio, Indis Graecorum numerum forma vsuque captis. Inuenti sunt utique in India numi, quos ante bis mille annos in vrna fuisse conditos Brachmanes iudicarunt. Ex Cuperi quadam ad Lacrosum epistola A. clo lccc xvi. Id. Sextilibus scripta cognoui, Nicolaum Vitfenium illustraturum istos numos fuisse. Sed istis doctissimi Consulibus commentariis misere ad hunc diem caremus.

Hinc passim in iis regionibus, in quibus Romani mercatores aut milites aliquando sunt versati, numi effodiuntur, ut in Pannonia, Dacia, Germania, Britannia, Graecia, Hispania. Numis in Syria repertis Joannes Valens plurimum est vsus. Cuiusmodi iam Jacobus de Vitriaco, haud procul Caesarea in fundamentis Castris peregrinorum inuentos prodidit, *ignota*, ut ait, *modernis moneta*. In Aegypto defossos Paulus Lucas non ita pridem memoriae mandauit. Marcus Velferus in rebus Augustae Vindelicorum illustrandis maxime filus est numis in agro Rhaetico, Norico & Vindelico inuentis. Haud procul Oenoponte effossus est ante annos admodum triginta aut amplius, Otho aeneus maximi moduli, inscriptus ita ut ille, in quo Cauinii fraus propemodum deprehensa est a Chifletii: IMP. OTHO. CAESAR. AVG. TRIPOT. & in auersa, in qua Otho cum tribuno & tribus militibus SECVRITAS. P. R. S. C. Qui numus adhuc in cimelio Hartmanniano, inter praecipua nostrae urbis memorando, exstat, saepe a me visus. Nihil in eo Patuinae fraudis, aut novitatis alicuius adparet, etiam diligentissime contemplanti. Seruatus mirifice, parum aeruginis, sed antiquae, habet. Hartmanni coniectura est, a legionibus Pannonicis Oenopontem forte fuisse perlatum. Commentarius eius in hunc numum praestans sane & dignior luce Chifletianis coniectaneis. Jacobus Andreas Schottus quidem, desideratissimus nostrae amicitiae senex, nonnulla fraudis vestigia in eo numo notare sibi esse visus, sed in his nimis acutum vidit.

CAPVT SECVNDVM.

TAmetsi igitur inclinēt animus, ut credam, per mercaturas illatos numos Romanos esse, tamen mercatores Romani, an Teutoni secum asportarint, haud quaquam liquido iudicauerim.

Magis constat, ante Neronis principatum neminem Romanum in has terras ingressum, ab eo autem tempore commercia succini per Germanos Pannonasque habita, eosdem denique Romanis numis usus esse. A Graecis primum eius gemmae notitiam Romanos accepisse, Plinius scribit. Quos ille vero Graecos, Corinthios aut Tarentinos memoret, quaeri potest. Gentem nostram & succinum in Graecia iam ante Persicum bellum cognita fuisse, manifestum est; quantis autem rursus obscurata fabulis fuerint, Plinium legentes non latebit. Cum Philoxenus, [Nicander, Euripides, Apollonius Rhodius ad Padum Electridas insulas & succini originem, Padum autem ipsum Aeschylus rursus in Hispania collocat, poetarum commentis tam multiplicem errorem condonemus. At Theophrastus, Zenothemis, Metrodorus, & quod mireris, re a Romanis, ut erat, cognita, Xenocrates eadem, indignante Plinio, somniarunt. Quae tamen minime argumento sunt, in Graecia succini usum iis temporibus nullum fuisse, cum Herodotus tanto tempore illis antiquior, multo veriora prodidit. Vera enim falsis haudquaquam miscens, obscura quidem, sed probabili narratione in Thalia contentus fuit. Pytheas Massiliensis in historia Thules quoque diserte omnia habet, mendacissimus quidem Straboni iudicatus, sed ignaro earum rerum, quas Pytheas verissime prodidit. Itaque Timaeus, Niceas & Mithridates Eupator merito aut secuti eum aut eisdem auctoribus usi sunt. Philemon etiam in scenam produxit veram sententiam, si is, quem Plinius citat, Menandri aequalis fuit. Tradit autem Philemon, in Scythia erui duobus locis, Niceas, in Germanorum littora eiici, Mithridates, in insulam Oserictam cedri genere, hoc est, abietibus syluosam, vnde in petras succinum fluat. Si quis hanc Sembiam Oserictam dictam putet, erroris haud facile coargui possit, praesertim si Diodori Siculi Basileam obiecerit. Graeci igitur Basileam, Germani *Oserictam*, veluti *orientale* aut *Aestiorum regnum* Celtica lingua dicas, ob eam causam cognominarunt, quoad Sueonum Sinlonumque exemplum, regis imperio, inter tantam vicinorum libertatem, adstrictiori, maiores nostri vterentur. Aestios ipsos credibile est, *Abalum* vocasse. Xenophonti Lampfaceno cum Diodoro conuenit, sed Pythias Timaeusque Basileam & Baltiam videntur confudisse. Pythias utique Basileam & Abalum distinguit. *Pytheas, inquit Plinius, Guttonibus Germaniae genti accoli aestuarium*

occa-

oceanum Mentonomon nomine, spatio stadiorum sex millium; ab hoc diei navigatione insulam abesse Abalum. Illic vere fluctibus aduehi & esse concreti maris purgamentum: incolas ad ignem vi eo, proximisque Teutonibus vendere. Ex eo loco aliqui hariolati sunt, Gottones in Prussia aliquando fedes habuisse. Atqui falso, nulla idonea auctoritate. Aliqui insuper Gothos & Gottones perperam confundunt, ita ambiguo licentique errore, tamquam in nostris rebus nihil turpe sit comminisci. Gottones Pytheas eodem, quo Tacitus loco in Pomerania & Cassubia posuit. Diei navigatio Lacu salubri siue Aestio fiebat, cum etiam hodie tantilli temporis cursus secundo vento est. Ab eius autem occidentali ripa, intra Germaniam omne littus Sueuici maris Mentonomon a Graecis nuncupatum fuit. Spatium autem a Vistulae ostiis, quae salutarem lacum influunt, vsque ad fines Cimbricos admodum congruit cum Pitheae rationibus. Nam stadia sexies mille efficiunt ter millies & sexcenties mille pedes Graecos, qui secundum accuratas Eduarti Bernardi rationes, aestimatis tot veterum molibus, tot auctorum sententiis cum Anglicis pedibus conuenientes, pedibus ter millies trecenties, septies & septuagies mille centum & vndecim Parisinis aequantur; itaque miliaria Germanica centum septem & quadraginta, aut pauxillo admodum plus, nobis dabunt. Quanto spatio littus Sueuicum inde ab Aestio lacu ad Cimbro propemodum accurate porrigitur.

Possis suspicari Massilienses Gaditano euectos freto, littora septentrionis obiisse, vnde fiducia fuerit Marciano suos περιπλῆξαι edendi. Satis animi Alexandrinis & reliquis Graecis fuit, vt, Dionysio Periegeta teste, mare Erythraeum emensi ad Gangem usque ferrentur. Enimuero si rationem nauticae veterum scientiae ineamus, persuaderi mihi non patior, Graecos antiquissimis temporibus euectos in hoc mare fuisse. Polybius, vt erat vir admirabili re- Lib. 3. 158.
rum vsu & scientia, in Megalopolitana historia liquido commonstrauit, quam id fieri istis temporibus nequiverit. Idem multo tempore post Marcianus Heracleota & Agathemeris confirmant. Quae autem Pitheas & Herodotus & ceteri de his gentibus habere, vicinis barbaris accepta tulerunt & postea Romanis expeditionibus. Marcianus & in primis Cl. Ptolemaeus plurima ab his mutuo sumpserunt, vt hic εν πρώτῃ ὑΦηγήσει non dissimulat. Itaque hactenus Plinio assentior, non ab his littoribus, sed ab Venetis Graecos succinum petiisse.

Vt ad Plinium prorsus redeam, non Corinthios, nec alios Graecos, sed Tarentinos credo ab eo prodi succinorum commercia vsunque Romae vulgasse. Homo videlicet Romanus cum Graecos nominat, Tarentinum aut Bruttium aut ex magna Graecia aliquem significabat. Praefertim, cum non, qui per orbem terrarum, sed, qui per Italiam succina vulgauerint, quaerit. Tarentus ad omnem mercatum opportune posita, tum caput Lucaniae, Apuliae Calabriaeque, maximam luxuriam contraxerat, non tam Graecorum, vnde erat orta, exemplo, quam rerum humanarum lege, qua ab opibus magnis ad affluentiam rerum omnium iter, inde ad luxuriam praecipitium est. Theopompo in Philippicis & Clearcho Solensi in vitis proditum referimus, Tarentinos dicere solitos, cum aliae gentes industria ac laboribus vitam instruant, se instructa inter maximas voluptates perfrui: eosdem primos cutem rasisse, conuiuia pergraecando perpetua duxisse, pictis pellucidisque vestibus vsos, qualibus Semus Delius in Paeanibus ithyphallos inter ludorum obscoenitatem indutos fuisse tradidit. Strabo denique plures festos dies Tarenti agitados prodit, quam quot diebus anni tempus describitur. Idem portum Tarentinum nobis pingit. Polybius autem in excerptis Megalopolitanae historiae Tarentinam urbem sic positam ostendit, vt Italia inferior & magna Graecia communi hoc portu vterentur, ad Adriatici, Inperi & Jonii maris commercia, solique Crotoniatae nescio quid portus haberent, ex quo tamen maximae huius urbis opes prouenissent. Eo sic auctae res Tarentinae fuerunt, vt Graeci & reliqui mercatores toto Italico littore nullum portum peterent, quin etiam in hoc excensum facerent. Tarentinos etiam in Istriam & Illyricum vsque mercaturas excercuisse Flori testimonio constat. Itaque verosimile est, succinum quoque ab Illyriis petitum, in domesticum luxum vertisse, inde in alios populos Italiae vulgasse.

Inde adeo & Romani acceperunt. Neque enim Plinio parum memori eorum, quae semel memoriae mandauit, credo, Romanos a Venetis primum succina cognouisse, aut Venetos a Pannonibus. Etenim Veneti bello Ligustico, annis fere quinquaginta post Tarentinos petiti sunt; in Istrios & Illyrios etiam aliquot annis serius itum est. Pervulgari interim succinum per Tarentinos, vt in reliqua Italia, ita Romae etiam vel maxime potuit. Pannonones autem coniuncti Venetis numquam fuere, Istriis & Illyriis inter

inter utrosque mediis. Appianus Allexandrinus in Illyricis, terminos gentis descripsit, ut ante bellum Illyricum fuere: a Macedonia & Thraciae montibus ad Alpium obiecta iuga iuxta littus Ionium coluisse, stadiis mille & ducentis, seu quinque dierum itinere; ad Istrum autem & Pannonas maiorem amplitudinem fuisse. Ad Arsiam Istrii, cognatagens, Illyrios excipiebant usque ad Venetos diffusi omni reliquo littore. Claudius Ptolemaeus Pannoniam ab occasu solis Cetio & minima parte Caruanae montis, a meridie Istria & Illyrico finit. Sic Strabo, sic veteres omnes, sic ipse Plinius, Alpium iugis a septentrione ad meridiem per medium Illyricum versus Pannoniam includi scribens. Nullum igitur Venetis Pannonibusque commercium, cum Illyrii Istriique istis propiores siti, & si libuisset Venetis per Alpicas gentes Carnutum petere, sub Alpibus Germani essent, a quibus commodius succinum acciperent, quippe & inde Pannonibus petentibus, ut Plinius memoravit. Imo cum Plinius scribit, Venetos proximos Pannoniis succinum circa mare Adriaticum accipere, non animadvertit, ambigue se loqui. Pannonibus ad mare non colebant, sed Illyrios Istriosque veterum aliqui cum Pannonibus confundebant, credo post tumultum Gallicum & cum Gallis per Dacos in Istria Illiricoque, teste Strabone, deletis, in vacuas regiones Pannonibus succederent coloni. Accisi quidem postea & intercepti paullatim Illiricae gentis fines, cum ad Patauium usque ante Antenorem colerent, profectis ab Illyrico agro Venetis in haec loca, quae adhuc tenent. Attamen etiam post Plinium inter Venetos Pannonibusque satis longo intervallo ab Geographicis Istrii collocabantur.

Mihi probabile est, ab Istriis fortasse Venetos, certe Romanos, (cum a Tarrentinis, ut dixi, aliquot annis ante cognouerant) succina accepisse. Istrii a Carnuto Pannonum habuere, cum a Germanis interiacentium populorum spatiis impedirentur. Pannoniam Romani, teste Plinio, ob succini commercia, quae cum Illyriis exercebant, maxime in potestatem suam redigere cupuerunt. Inde quomodo auctum sit in Italiam succinum, liquido tenemus. Pythiae etiam temporibus Pannonibus a Germanis accipiebant. Plinii aetate ex Germanis Vindelici & Norici Carnutum asportabant. Videlicet victa hac Germaniae parte & colonia Augusta condita. Augustam ex tota Germania, praesertim ex Hermunduribus mercandi causa itum est, Cornelio Tacito referente. Ab Hermunduribus
Gotto-

Gottones haud procul aberant. Carnutum autem emporium erat Pannoniae, proximum Norici, Velleio Paterculo, harum regionum vel in primis gnaro. Fuit enim in exercitu Tiberii. Inde quomodo in Istriam Illyricumque sit deuectum currubus aut nauiculis, Strabo docet in descriptione Segefticae, ex quo etiam colligas, Aquileia trans Ocrum in Vindelicos & breuius iter & haud minus frequens illo tempore fuisse. Illyricorum portuum, credo & Liburnicarum nauium opportunitate Romani vfi sunt, ne per Alpium iuga & saltus maiori vtique sumtu adueherent Romam. Mari infero non poterant, quod longius abesset.

CAPUT TERTIUM.

AD haec vsque tempora nihil Romanae pecuniae in Prussiam potuit perferri, quippe cum inter Noricos, Pannonios & hanc gentem multarum terrarum spatia, nullus mutus, nisi per finitimos, vsus interesset. In interiorem Germaniam mercatura Romana ferius penetravit. Claudii Drusi expeditio postrema Catos aperuit & Cheruscos, Dione omnia quam diligentissime enarrant. Albim traiecturus prodigio absteritus est. Hic *τρόπαια Δρέσδ* a Claudio Ptolemaeo ponuntur, hic finis Romanarum expeditionum. Ultra Albim Straboni ignota prorsus dicuntur omnia, cum ad orientem ante id tempus *παραπλῆς* esset litore Sueuico factus nullus. Germanicus Caesar ne quidem ultra Visurgim longe processit. Trans Viadrum nulla Romanorum arma sunt visa. Idcirco Philip. Jacobus Hartmannus vehementer fallitur, cum a militibus Romanis in haec loca numos esse allatos, in Antiquitatibus rerum Prussicarum, probare conatus est.

Dicat quisquam, vnde ad Romanos tot gentium ultra Albim cognitio peruenerit? Nempe Germanis aut captiuis aut transfugis, aut alioqui inter Romanos versantibus creditum est, quicquid ultra erat, vt ipsi acceperant, referentibus: Sueonas secus Sueuicum mare colere, vltius septentrionalem oceanum esse, ibi extremum cadentis iam solis fulgorem in ortus edurare adeo clarum, vt sidera hebetet, * Sueonas a regibus imperari & segnitiae (vt ipsi feroces interpretabantur) hoc est, paci deditos esse. Id cum verum fuisse, aliunde comperimus, fidem iisdem auctoribus habemus de proxi-

* Id adeo verum esse ex numo Caroli XI. & ex Speculo Regio, Norvegico scripto apud Arngrimum Jonam in specimine Islandiae historico p. III.

miori

miori Aestiorum littore narrantibus. Juxta Sueonas Sitones (nos Lappones vocamus) tum Peucini, Fennique colebant. Fenni utique iisdem quibus hodie locis. Absurdum est, ab aliquibus Fennos in Prussia collocari. Aestii mea sententia, latidextero littori Sueuici (ut Tacitus dicebat) maris praetendebantur, a Pomerania ad Curoniam vsque, aut Esthoniā quoque, quae vetus nomen fortassis servaverit. Gentes multas vno & eodem Aestiorum cognomine Cornelius prodidit. Lacum hunc salutarem ab Aestiis paludem Aestiam Pomponius Mela vocat. *Palus*, (inquit Vossius) *est illa, in qua succinum colligitur & olim & nunc notissima.* In quo errore nemo vumquam Romanus fuit. E mari succinum eiici tradunt ad vnum omnes.

Gleffariam, Austraniam & Burchanam Romani tenuerunt aliquando, sed, ut ex Germanici Caesaris navigatione coargui potest, longe ab nostro littore distantes, totius Cimbriae Germaniaeque interiectu. Apud nos interim nullo succinum vsu, nisi arfisset, rude legebatur & informe ad finitimos Germanos perferebatur, Cornelio gnarissimo earum rerum auctore. In prouinciis autem Germanicis aequae succinarii negotiatores fuisse videntur, quam in Belgio cretarii, alii alibi. Sed quibus finibus se continuerint, & vtrum ante Neronem in haec loca penetrauerint, quia nusquam vel ad suspicandum, quid verum sit, quidque non sit, obuenit, non possum explicare.

Fuerunt sine dubio & Romae, inter tot opificum collegia, etiam, qui succinum laborarent, artifices. Ac fortassis ad collegium vasculariorum aut aurificum aggregati fuerunt. Vascularios argentarios inuenio apud Scaeuolam, aeris Corinthiaci in veteri inscriptione in via Flaminia.

VENERI
COLL. VASCULARIOR.
SIG. CORINTHIUM.

D. D.

Apuleius inter vasa aurea & argentea mensam diuitem succino instruit: *argentum alibi clarum & aurum fulgurans & succinum mire cauatum in lapides, ut bibas.* Aristides in Romam, praedicat in vrbe omnia confluxisse *ναυτιλιας, εμποριας, μεταλλων και θαρων, τε-*

B

χνας,

χνας, ὅπως αὐ εἰς τε καὶ γενέσθαι. Sed non tantum vasa, verum etiam maioris artificii res e succino fiebant, vt nisi cum glyptices sculptori aequae artis summa doctrina, frustra tentatae essent. Si quam naturae operam & artem ostentaret succinum, sine artificis ingenio & industria placebat, vt nunc fit. Martialis apem, viperam & formicam succinea inductas gutta, culices & lacertas Plinius laudat. Hic quoque memoriae prodidit, fulvo succino maius, quam cereo, aut albo pretium fuisse, mulieres Transpadanas monilium vice vsas, alligasse quoque infantibus, nouaculis Romanos succineis vsos, humanas denique effigies in succino effictas viuorum hominum pretium superasse. Hi mores Romani fuerunt, hoc succino pretium.

Pretium gemmae Domitius Nero maxime auxit. Ab eo tempore Romae magis cognita, maioris facta est. Sabinae Poppaeae, cuius amore tam vehementer flagrauit, crines, in quodam carmine succina, an succineos? nuncupauit. Exinde *is colos matronis*, vt ait Plinius, *expeti coepit*. Sed haec postea aliquanto fuerunt, quam in ludicrorum ostentatione visum fuerat succinum. Nam cum Romae in ludis bestiae ignotae aliaque rara ac numquam in vrbe visa producerentur, Neroni in animum adeo venit, succinea omnia exhibere. Erat Nero tam peruersa gloriae cupiditate, vt, quidquid incredibile, ignotum, abditum, aut ex eorum esset genere, quae fieri non possent, ea maxime peteret & vulgaret. Audita vox eius est, paullo ante exitum, cum organa hydraulica noui ac ignoti operis in domo illa aurea recens posita contemplaretur, adfirmantis, se isthaec in theatra prolaturum. Julianus igitur curator eius, equitem Romanum in haec loca misit, qui succini ingentem copiam referret. Dignus est locus Plinii, vt penitus consideretur. Julianum, (quae licentia esse solet, omnia ad nota aliunde nomina trahentium) credat fortassis quispiam, eum esse, quem cum Asprenate Romanum Cos. ad A. V. C. Io cc xci siue Christianum XXXV. sub primo C. Caligulae anno Idatiani & Anonymi Fasti, Prosper, Cassiodorus, Dio, Frontinus ponunt, quorum postremi M. Aquilium cognominarunt. Panuini errorem hoc quoque & proximo anno Coss. turbantis Norisius in epistola Consulari gnauiter conuicit. Enimvero ex Dione constat, Julianum illum a Tiberio designatum Cos. iam dudum ante rem publicam attigisse. Iis autem, qui rem publicam administrassent, curationes rerum domus Augustae non mittebantur. Testis est Cornelius Tacitus, Melam a petitione ho-

norum

norum abstinuisse, quod & ambitiosius crederet priuatum Consularibus viris praeferrere & acquirendae pecuniae breuius iter teneret per procuraciones administrandis principis negotiis. Reliqui sunt Claudius Julianus & Julianus Tertius a Tacito memorati, si necesse est, aliquem esse eorum, quorum nomina aliis rebus gestis quoque conferuantur. Ille a Cornelio Tacito ita descriptus est, ut alterum haud inuiti omittamus. Vix enim credibile est, nos in eo verum nomen non tenere. Post procuracionem huius muneris Misenenfi classi praefuit ante Lucilium Bassum, a motu deinde a Vitellio ad domesticum ministerium. Praefectus idem gladiatoribus lascivia focordiaque gladiatoris plus, quam ducis animo, ingenio Neronis moribus conuenientissimo. A Vitellio ad classarios Misenses mitigandos cum manu gladiatorum & cohorte vrbana missus, haud magna cunctatione ad Vespasianum & ipse deficiens, gladiatores secum traxit, Tarracinamque Misensibus adiuantibus occupatam infedit. Illa iterum per focordiam & lasciuiam amissa, verberibus laceratus, Vitellio inspectante trucidatus est. Quae antea vita Juliano fuerit, non constat, nisi dedecus ex morte & infamis ministerio principis arguas. Illum adeo Julianum Claudia gente, eadem qua Nero, (nisi ex plebeia fuit, nam Neronis patricii erant) curatorem huius muneris fuisse, nunc multo magis contendendo, cum video, Lipsium in eandem mecum sententiam conuenire. Procuratores autem mandata Caesarum ordinabant ea, quorum curam accepissent extra ordinem, idque ad Pomponii opinionem coarguendam, censentis, *vnus rei mandatum suscipientem, procuratorem non esse*, aequae firmiter valet, quam Vlpiani auctoritas, cui aliter visum est. Igitur singulis ludis alium procuratorem (ut Patro- bium libertum teste Xiphilino, gladiatorio Neronis muneri Neapoli edito) saepe etiam vno plures datos inuenio. Nam cum post Atilii theatrum collapsum, non amplius ad stipem mercedemque parandum, aut omnino a priuato munera ederentur gladiatoria, tanto maiores opes a principibus profundebantur. Atque cum ideo per mille artes procuratorum ingenium ad accumulandas diuitias se exerceret, magna res erat, procurare munera.

Quo tempore Nero gladiatorium hoc munus ediderit, quaero, ut ex eo intelligam, quando Romanus eques in haec loca venerit. Tranquillus Suetonius: *spectaculorum*, inquit, *quatuor genera edidit. Iuuenales, circenses, scenicos ludos, gladiatorium munus,*

tamquam nullum aliud exhibuerit. Econtrario Cornelius diserte memorat, bis edita munera. Primum per indignationem & transcursum attingit, alterum non multo diligentius. Satis tamen adparet, primum munus Suetonio notari. Nam molem amphitheatri apud Campum Martis construxisse Neronem firmissimis fundamentis & trabibus, Tacitus scribit. Suetonius autem confirmat, in Campo Martio ligneum amphitheatrum intra anni spatium ab Nerone conditum ac neminem, ne noxium quidem in eo occisum fuisse. Altero autem spectaculo foeminae illustres ac senatores sine missione dimicarunt. Par vtrique muneri magnificentia, sed priori magis illa ex succino ornamenta conueniunt, praesertim in ligneo amphitheatro. Theatra primum paupertatis causa, nulla, nisi ciuium corona, cui inter ludos ne licuit quidem sedere: inde subitaria quidem sunt facta, sed disciplinae causa, ne quis locus ad quotidianam desidiam esset. Quippe cum censores pro reliqua seueritate sua gradus ac sedilia disturbarent, vt Tertullianus in Spectaculis tradit & Vitruuius quoque confirmat. Firmum & mansurum primum condidit Pompeius. Id ille tamen parsimoniae causa, ne frequenti constructione tanti operis priuata & publica pecunia exhauriretur. At Nero ligneum fecit, vt tanto plus profunderet. Igitur de anno constat. Nerone secundum & L. Calpurnio Coss. nihil aliud actitatum. Hi Coss. erant A. V. C. lccc x. secundum Anonymos, Idacianos, Prosperi & Capitolinos factos. In eundem annum Suetonius videtur coniciere venationes, vt tanto magis cum Plinio concordet. Ex quo conficitur, sub ipsum initium principatus, aut proximo anno, Claudio Nerone & L. Antistio Vetere Coss. equitem Romanum in Prussos esse profectum succini causa. Eques fortassis negotiator, quales pluri mi erant etiam integra republica, aut, & ipse Neronis curator. Profectio tanto maiori compendio fiebat, quod magnum in Germania Neronis nomen semper fuit; Hermunduri fida Romanis, Gottones autem pacis amantissima natio erat.

Quanto pondere succina allata sint, Solinus videri voluit comperisse, loco Plinii negligenter expenso. *Tredecim*, inquit, *millia librarum*. Plinius dixerat: *maximum pondus glebae attulit XIII. librarum*. Hoc congruentius vero, illud sine idonea auctoritate. Ingens pondus vnius glebae, etiam nostris rationibus. Jam, quanta succini copia reliqua fuerit, ex instrumentis, quae fuc-

fuccinea fuere, coniecturam nos ducere Plinius finit. *Tanta*, inquit, *copia inuecta, ut retia arcendis feris podium protegentia succinis notarentur, arma vero & libitina, totusque unius diei apparatus esset e succino.* Primum omnium constat, podium in amphitheatris fuisse circum harenam ductum, ut gradus de quibus spectabant, securi a bestiarum insultibus essent. Post substructionem enim supra stereobata murus, ut ex Vitruvio intelligemus, exiguus surgebat, quem podium vocabant. Supra podium columnae & epistylia (ut Maeniana etiam in nostrae urbis aedificiis mediis, more Romano, sed corrupto in peius) constructa erant. Satis alta harenam spectantibus, ut ex Vitruvii dimensionibus tenemus. Quod, cum non esset fatis aduersus feras aliquas, retia ex ferro (*διὰ τῶν κλάθρα ferrea* Plinio) supra epistylia disponebantur. T. Calpurnius etiam aurea facta a Carino cecinit in postrema ecloga:

*Baltheus ex gemmis, ex illita porticus auro
Certatim radiant; nec non ubi finis arenae
Proxima marmoreo peragit spectacula muro,
Sternitur adiunctis ebur admirabile iuncis,
Et coit in rotulam, tereti qua lubricus axis
Impositos subita vertigine falleret ungues
Excuteretque feras. Auro quoque torta resulgent
Retia, quae totis in arenam dentibus exstant
Dentibus aequatis: & erat, (mibi crede, Lycota,
Si qua fides) nostro dens longior omnis aratro.*

Scilicet in summis retibus spicula obuersa harenae erant, ut, si qua bestia, transmissa euripo, per stereobata, podium, columnas, epistylia, retia niteretur, interim a lictoribus magistratum, qui inter primae caeuae spectatores versabantur, confoderetur, aut ipsa se fera supremis retium insidiis confingeret. Retia nodos oportet habeant, quibus ferrum firmetur & connectatur. Hi nodi ex succino erant, credo enim apud Plinium rectius legi, *notarentur*, ut Salmasius etiam suspicatur.

Haec in Spectaculo venationum, incertum, an & gladiatoribus congregantibus relicta fuerint. Arma ex succino erant, quod confirmat meam sententiam de tempore gladiatorii muneris. Adparet enim succineis armis neminem foedatum fuisse. Primum autem munus sine caede fuit. Digna senatoribus & sequiori sexu arma, quos aut nullis aut ferreis utique non decebat appeti. Vi-

diffes igitur matronas fuccineo scuto & gladio ictum inuicem excipientes & inferentes; myrmillonem aliquem, cui non triplex circum pectus aes, non galea, non totius corporis tegumen ex ferro, sed fuccino erat: inde ruere Threcem cum pelta & acinace fuccineo. Samnis aliquis non in modum veterem auro & argento caelatum scutum, sed ex fuccino etiam cristas finistrique cruris ocream gerebat. Retarius tridentem eodem electro & retia fortassis similiter nodata intentabat. Nescio quid in laqueariis, (si qui fuerunt) fuccineum esse potuerit, nisi forte pugio. At in andabatis & effedariis etiam equi & currus tali ornatu instruebantur.

Miraculo similem profusionem succini! Nempe hoc Plinio quoque mirabile visum. Credine potest sandapilas ex fuccino fuisse tot, quot esse in harena solebant pugnantes? Enimuero quid senatori, quid nobili matronae cum sandapila? Constat enim ex Fulgentii ad Chalcedium libello, non nisi plebem & condemnatos sandapila efferri fuisse solitos. Equitibus & senatoribus lectica proferetro fuit, Martialis testimonio. Fortassis Plinius lecticam ad reliquum diei apparatus refert, nisi eodem libitinae cognomine, genus omne feretri complectatur. Dio Cassius de insidioso Agrippinae naufragio scribens, non ex caueis feras emissas refert, sed ex navi ita facta, ut solutis vinculis feras excuteret, inde se contraheret ipsa. Id videlicet necesse est, in hoc muere ac theatro viderit, alterum enim Nero edidit, matre iam interempta. Enimuero vanissimi hominis argutulas fictiones omnes haud hili facio. Credam magis, Dionis memoria eiusmodi caueas in theatris factas esse ad Neronianae modum & exemplum naus. Jam qui reliquus eius diei apparatus? Omnia videlicet quae spectarentur, ad apparatus pertinebant. Etiam, quae ante eum diem fierent. Ut Tertullianus in spectaculis: *Idem de apparatusibus interpretabimur in ipsorum honorum suggestu deputandis, quod purpurae, quod fasciae, quod vittae, quod coronae, quod denique conciones & edicta & pulies quotidianae, sine pompa diaboli non sunt.* Magna in his varietas seruata Romae, ut Velleius de Julio tradidit, quinque eum triumphos, primum apparatu omni ex citro, alterum ex acantho, testudine denique, ebore & argento rasili ceteros egisse. Id nimirum Tranquillus dixit, *diuerso quemque apparatu & instrumento egisse.* Haec in triumphis quae fuerint, scimus; in gladiatorio munere, quaerimus. Calpurnius in theatro Carini vidit baltheos & porticus auro ornatos.

tos.

tos. Necessè est, idem in ligneo Neronis theatro ex succino fuisse ornamentum. Reliqua supellex, torques gladiatoria, vasaque alia, quae in Commodi auctione ex auro, argento, ebore citroque composita Capitolinus in Pertinace memorat, hic succinea erant. Venabula, spicula, ara in medio theatro, vela, tabulae, spoliaria, vncus, vestes, succino instructa fuerint oportet. Tertullianus quoque flagella & virgas expedit & rudem & pileum in spectaculis praesto habet. Haud scio, an etiam haec ex succino fuerint. Vitruuius autem in cellis sub gradibus vasa aenea mathematica ratione ita a Corinthiis, Graecis reliquis, ac quibusdam Italiae regionibus collocata memorat, vt ἤχητα hoc est, sonituum discrimina ἀντρομασί ederent & inter se vulgarent, theatrorum clamoribus commota. Romae, cum haec scriberet Vitruuius, nullum eiusmodi theatrum fuit, sed praecepto eius obtemperasse architectos censeo. An & haec ex succino fieri potuerunt? Mira hodie artificum nostrae urbis sagacitas, & fuit ante aliquot annos multo maior in laborando succino; ac nescio, annon aequè succino ἤχητα haec edi potuerint, quam fictilibus doliis, quibus Vitruuius scribit, laquearia fuisse distincta, si sumptus ad aeneas campanas non sufficeret. Cum autem ad augendum clamorem & tumultum theatri haec inuenta essent vasa, in theatro Neronis ligneo id nemo requirat, quod, vt ait Vitruuius, *lignea theatra tabulationes habent complures, quas necesse est sonare*, si ex artis praecepto theatra constructa sint.

Mirum id quoque est, cum quinquennialium, decennialium, circensium, reliquorum ludicrorum memoria in numis observata fit a Panuino, Vico, Occone, Biaeo, Erizone, Valente, Begero & nuper Montefalcone, neminem omnium antiquariorum aut numum aut lapidem tam excellentis muneris memoria insignem reperisse. Nequaquam dubito, Senatū Romanum aboleuisse tam foedi spectaculi monumenta, cum ex suo ordine mulieresque pugnant. Si Dionem integrum haberemus, vtpote nugarum curiosissimo observatori hoc quoque ludicrum explicatius deberemus. Cornelius grauior, Tranquillus negligentior fuit, quam, vt haec accurate narrarent. Plinio vni gratiam debemus maximam omnium. Quem cum explicavi pluribus, non potest hic labor, sumptus nobis in patriarum honorem rerum, aliquem offendere, tamquam alienus ab hoc loco, nisi abhorrentem ab anti-

qui-

quitatum studiis, & non intelligentem, quem fructum ex hoc labore capiamus.





CAPVT QVARTVM.

ID igitur consecuti sumus, vt, cum constat, quo tempore munus a Nerone exhibitum sit, ex eo intelligamus, quando in haec littora, Romanus eques venerit; ac cum explicauimus, quanta profusio succini in theatro fuerit, ex eo colligamus, quanto pretio confiterit, quantoque tempore a Romanis inter Aestios versantibus in littore collectum sit nostrum. Inuentus quoque Neronis numus & ad Hartmannum allatus est, quem videtis in TAB. I. Fig. 1.

NERO CAES... VST. CERTA. QVINQVENN. ROM. CON. S. C.

paullo igitur diuersus ab eo numo, quem L. Beger & Sebastianus Erizo exhibent. Vrcus, credo, is est, qui oleum seruat. Nam, Dione teste, oleum inter senatores & equites gymnastico certatos ludo gratis distribuit Nero. Lauream satis constat victoris fuisse. Acta sunt haec certamina, Nerone quartum & Cornelio Cossu Coss tertio anno post profusionem illam succini. Itaque post illa tempora oportet numum hunc allatum in has terras esse. Saltem cognitae a maioribus nostris Romanae pecuniae tempora aperuimus. In Chronico quodam MS. bibliothecae Regiae, inter legata Raziuiliana, quod Joannis Radeualti vulgo apud nos nomen habet, inuenio talem narrationem, quae praeterquam quod „erroris aliquid admiscet, satis scita est. „Julio Caesari bellum cum „Pompeio fuisse annos quinque, inde a septimo & quadragesimo „anno ante Christum natum. Eo tempore Pompeium cum maxima classe Syriam aggressum & latrones esse persecutum. Inter „praedam reliquam belli ex sententia compositi, succinum fuisse „repertum, quod tum, quid esset, nemo Romanorum tenuerit. „A piratis denique esse cognitum, cum Pompeii vim metuerent „euectos quosdam Gaditano freto, post longum cursum in ea loca „venisse, quibus succinum in littore & proximis vadis legeretur. „Nunciatum esse, Gollem regem praesse genti, succinum aut „abiici, aut incendi, pretio nullo censerit. Inde Pompeium in tabulas ab artificibus secto succinum inter reliquum apparatus triumphum exhibuisse, partem eius in templum Iouis illatam ornatus causa fuisse, reliqua inter amicos diuisa. Tum primum auri

TAB. I.
Fig. 1.



„pretium aequasse dictumque esse carabe. Neronem annis sex & „quinquaginta post Christum natum in easdem terras misisse ali- „quos, qui succinum Romae inferrent per Pannoniam. Postre- „mum unde acceptum sit, liquet; etiam annus cum nostris rationi- „bus conuenit: cetera auctoritate veteri destituuntur. Illud de „carabe & de Julii Caesaris bello ab alio insertum videtur: prodit „enim grandem inscitiam, quae ab reliqua narratione abest. Bel- „lum cum Pompeio patre filiisque gestum, tum piraticum ac ciuile „perperam confusum in hac narratione est. Appianus Alexandri- „nus de bello Mithridatico in primis accurate triumphum Pompeii „enarrat, nihil autem de succineis tabellis habet, nisi eas referat ad „reliquum apparatus, dicit enim, duxisse *Ζεύγη καὶ Φαρῆια χρυσο- „Φόρα καὶ ἕτερα κόσμη ποιήλας*. Nihil nos iuuat Plutarchus in Pom- „peii vita, nihil Dio Cassius, nihil omnis uetustas. Similiter mul- „ta in Chronicis nostris, de quodam Astronomorum in has terras „ingressu memorantur, quae quia veterum auctorum neminem „prodidisse constabat, nostri inter fabulas referebant. Inuenio „autem eius originem narrationis apud Aethicum: *Julius, inquit, „Caesar, cum consulatus sui fasces erigeret, ex S. C. censuit omnem or- „bem iam Romani nominis admetiri per prudentissimos viros & omni „philosophiae munere decoratos. A consulatu Julii Caesaris & M. An- „tonii usque in consulatum Augusti decimum annis XXIX. mensibus VII. „diebus X. a Theodoro septentrionalis pars dimensa est*. Hic est adeo „ille, quem nostrum aliqui Tironem, alii ex quorum numero Lu- „cas David est, Diuonem nuncuparunt. Primus ex nostris fecit „mentionem eius rei Christianus ex ordine S. Burchardi Abbas Oli- „uae & Episcopus Prussiae in libro, quem inscripsit: *liber filiorum „Belial & de eorum superstitionibus*, memoriae prodens, datum sibi „esse a Jaueslao Praeposito aedis Plocensis in Masouia librum Russica „lingua conditum Graecisque scriptum litteris, in quo is Diuones „tradiderit, se cum focis Salura Bithyniae vrbe, astronomis qui- „busdam iubentibus egressum Octauiano Augusto Romanum or- „bem regente, septimi climatis regiones peruasisse. Ex eo postea „Simon Gruna, Lucas David, Paulus Polonus, auctor Chronici Or- „dinis, quem totum Vaisselius compilauit & alii totum hoc acce- „perunt.

Reliquum est, vt, quando desitum sit numus in Prussiam per- „ferri, explicemus. Prudentius Eulalam laudat, quod *succina sper- „neret,*

C

neret, nulla certe commendatione, nisi tanto maioris ab aliis honestis virginibus essent facta. At Isidori Hispalensis aetate iam ad agrestium foeminarum monilia adhibebatur succinum, ex qua re copiam & imminutum eo tempore pretium arguas. Sed mihi Isidorus non ut sua aetate fuerit, prodidisse videtur, a Plinio mutuatus, quicquid de succino habet. Itaque e contrario suspicor, visum ab eo succinum in Hispania nullum, cuius usum non tenebat, nisi alterius fide. Aliquanto magis compertum habemus, Aestios per tot gentes aulos esse ad Theodoricum regem legatos & succina mittere. De qua legatione oportuniori dicemus loco. Sed graviora tempora sunt consecuta, quae prorsus omnem cum maioribus mercatum interruperunt. Ab Hunnis non admodum magna elades mercatui illata, quippe a Romano limite deviantibus. Quanta autem vastitas Noricorum & Vindelicorum, mortem Attilae & Germanorum primam profectionem exceperit, satis idoneus auctor est Eugippius Abbas in vita S. Seuerini. Odoacro Regi Rhaetia omnis & qua Romana provincia patebat, ad Dispargum, ut ait Gregorius Turonensis, & Ligerim fluvium, in praedam cessit. A Theodorico quidem Gothicisque multa in Rhaetia, Norico Italiaque omni praeclare sunt gesta, sed excepit subito secunda in provincias Romanas irruptio, qua maximum mercatura omnis damnum est in Germania perpeffa. Franci enim Alamanis superatis pristinam Vindelicorum Noricorumque virtutem plane extinxerunt. Gregorium hunc legentibus haud obscurum est, quanta aviditate Francorum omnis natio, qua latrocinandi licentia fuerit, quae res cum per se satis, tum accedens ad superiora mala, commercia hominum disturbavit maxime. Cetera, quae dixi, Agathiae accurato Gothicarum rerum scriptori me debere profiteor. Post Justiniani & Justinii Thracis principatum omnis mercatus succini neglectus fuit. In haec usque tempora, numi apud nos inveni, pertingunt. Itaque antiquius cadauer est istis principibus in agro Anconitano M lxxvii. in lateritio sarcophago repertum. Nam circa collum & super pectore succina ovum gallinae aequantia filoque colligata tanto numero sunt reperta, ut modium efficerent. Paulus Bocconus Siculus, cuius fide haec refero, in aliquo museo etiam simili magnitudine succina vidit, ex sepulchris eruta, quae aeneam fibulam innexam haberent. Quod arguit, magnam iam aetatibus copiam succini nostri perlatam in Italiam fuisse, cum iam

iam

iam defuissent cremari cadauera. At Carolus M. & omnes sequentium aetatum principes nihil vspiam succinei inter ornatus habuerunt, cum etiam ex India ambitionis instrumenta repeterent. Saxo Poeta inter Brunsvicensis scriptores in vita Caroli:

-- quoties aderant missi mandata ferentes

Ex longe positis gentibus & ducibus.

Tunc auro textam nectebat fibula vestem,

Aurea comebat gemma pedes varia.

Distinctam viridi gessit diadema smaragdo

Stellatus radiis iaspidis ensis erat.

Instituta sunt post id tempus commercia cum Sueconibus, nostris Bircam ditissimam urbem, haud longe Holmia, in insula Bioerkoe lacus Meleri (vt Jo. Hadorphius nos docuit*) sitam petentibus, quod Adamus Bremensis in historia Ecclesiastica testatur. Patuit & Slaus in Prussiam aditus, vt idem prodidit in libro de situ septentrionalium regionum. Ex eo Helmoldus etiam haec totidem verbis: *Vsque hodie profecto inter illos, cum omnia communia sint nostris, solus accessus prohibetur lucorum, quas autumant Christianorum pollui accessu.* Sed mercatura succini nulla, veluti deleta eius memoria. Mercatura autem nostra Suecorumque iam a Plinio mihi videtur commemorari. Nerigon vocat insulam, ex qua in Thulen vnus diei cursus sit. Leibnitius Noruegiam putat significari. Ausim dicere Prussiae partem. Peninsulam enim a Gedano Pilauiam vsque praecurrens etiam hodie hoc nomine a nobis appellatur. Nolim tamen vehementer pugnare. Id testatius est auctore Bremensi Adamo, nostros postero tempore pelles muricum Bircam auexisse, nulla succini memoria. Nec Mariani equites, cum in Prussiam venerunt, magno in pretio habuerunt. Petrus Theutoburgus & vetustissimus quisque historicorum ne mentionem quidem faciunt succini.

CAPVT QVINTVM

Itaque ergo liquido probauimus, numos Romanos neque ante Neronem fuisse illatos, neque post impressionem barbarorum. Ante illa tempora in Prussiam non est itum & postea succini commercia desiere. Equitibus Marianis nullus vsus aeris Romani fuit. Quinimo ante illorum tempora in Prussiam Romanos numos

* Praef. in Bioerkoe Lagen siue leges Bircenses.

TAB. I.
Fig. 2.

venisse, ex eo collegi numo, quem ad me misit Joannes Ridelius. Inuentum scribit in pastorali casa, ac a fratre suo, Camerario Senes-purgensi sibi transmissum. Ex quo optimus vir merito suspica-tur, a pastoribus in agro inuentum, eodem repositum fuisse. Jam cum totum illum agrum Galindae olim tenuerunt, quae gens Ma-rianis in Prussiam venientibus, dudum extincta fuerat, Petro Theu-toburgo auctore, & a Marianis hic ager sero cultus fuit, ante illorum tempora quoque verosimile est, numum illum Romanum aliquo in tumulto fuisse reconditum. Illum autem cernitis in TAB. I. Fig. 2. os habitumque Juliae Mamaeae gerere. Dignosci melius potuit, cum repertus esset, sed in ignem coniectus, vt aeruginem amitte-ret, confusionem lineamentorum perpeffus est. Lego tamen IVLIA MAMAEA AVG. & ab postica, vt suspicor, FECVNDI-TAS AVGVSTAE. Numus a multis antiquariis visus.

Quibus tandem modis contingere potuerit, vt in Prussiam numi perferrentur, dictu facile est; difficilius autem, quomodo il-lati sint. Primum, si quaeras, an Romanis ad partem illam Germa-niae commeantibus, quae huic contigua est terrae, aut in Prussiam ipsam, aliquis vsus Romani aeris inter negotiantes Aestios fuerit, Adami Bremensis & Helmoldi intercedit auctoritas negantium, ali-quod auro argentoque pretium apud nostros fuisse, pelles mustel-larum, quas martes vocamus, cum vili panno commutare solitos. Quod equidem testimonium parui in hac causa facio, cum amplius octingentis annis inter illam aetatem, de qua loquimur, & Adamum Bremensem intercedat. Tam longo tempore, tum alia omnia mutari, tum vsus pecuniae Romanae desuisse potuit. Tacito sane credimus pretium succino etiam in Prussia fuisse: *Diu quim etiam inter cetera eieclamenta maris succinum iacebat, donec luxuria dedit nomen; ipsis in nullo vsu, rude legitur, informe perfertur, pretiumque mirantes accipiunt.* Dubitari tamen adhuc potest, pretiumne auri & argenti an aliarum mercium fuerit. Plinio teste Pitheas Massi-liensis idem, quod Tacitus tradidit, Aestios proximis Germanis succina vendere. Eo autem tempore Germani nullo adhuc signa-to aere utebantur, quod a Romanis primum acceperere. Enimvero per Romanos numorum vsus Germanis innotuisse, Marcomanno-rum exemplo constat, quos Tacitus scribit raro armis, saepius pe-cunia Romana adiutos. Iidem postea cum Romanis tam familiari vsu sunt societate, vt Cornelia Salonina Pipara Attali Regis Marco-man-

mannorum filia nuberet Gallieno. Quin etiam Tacitus de moribus Germanorum: *quanquam, inquit, proximi, ob usum commerciorum & argentum in pretio habent, formasque quasdam nostrae pecuniae agnoscunt atque eligunt: interiores simplicius & antiquius permutatio- ne mercium utuntur. Pecuniam probant veterem & diu notam, serratos bigatosque. Argentum quoque magis, quam aurum sequuntur, nulla adfectione animi, sed, quia numerus argenteorum facilius vsui est promiscua ac vilia mercantibus.* Inde multi serrati in Belgio reperiuntur, Chiffletio auctore in Ottonibus aeneis. Quos cum bigatis, credo & quadrigatis idcirco Germani amabant, quod inter primos numos post Q. Ogulnium & C. Fabium Coss. puro argento conflati bello Punico secundo, ac deinde lege Papiria amplius imminuti, ante Liuii Drusi tribunatum tamen nihil aeris admixti habuere. Quadrigatum in agro repertum Heliungus nobiscum communicauit, eiusdem mentione iniecta in Lithographia, quem vide TAB. I. Fig. 3.

TAB. I.
Fig. 3.

Serrati dentato ferrae in modum margine, aduersus incifores erant muniti, ne quid pretio ponderiue periret, cuius in locum lex Cornelia & postea Constantini M. interdictum successit * ab Juliano vero Zygoftatae singulis ciuitatibus constituti sunt. Interiora Germaniae & ultra Albim Cherusci numis Romanis abundabant Germanico Caesare bellum in iis locis gerente. Nam eodem teste Tacito Arminius Romano militi, qui transfugisset, pollicitus est, daturum se coniuges, agros & stipendium in dies, donec bellaretur, sestertios centenos. Maior Germanis fides, quam vt verosimile sit, Arminium fallere cupiisse; nec tantus eius stupor, vt opum profundendarum rationem non iniret, sic cohortes aliquot Romanae transfugissent. Quod ille vtique sperauit fore, quicquid Gronouius pater obtendat. Quantum enim opis in singulis Romanis fuisset? Maiorem in Germania vsus numismatum pararunt monetae, Treuiris, Sisciae & in agro Norico percusae, quarum nomine adhuc metalla signata reperiuntur. Isque vsus Romanorum numorum obtinuit in Germania, vsque ad CPlitanos signatos. Paulo postea Franci & Gothi vsurparunt potestatem cudendi numos, atque etiam edictis prohibuerunt, ne quod pretium numis aliis esset.

Copiam auri arguit Rhadagasti simulacrum aureum, tum idem reperta aurea instrumenta docent. Quantum numorum Joannes

* Codice Theod. IX. 22. XI. 6. 2.

Smithus inuenerit in Nouiomago suo testatur. In omnibus eius vrbis regionibus consulares, imperatoriique reperti sunt, vsque ad labentis tempora imperii. Inde iam frequentia monumenta Francica & Carolingica. Bene habet, quod multos eorum numorum Smithus in supellectilem suam congescit, sed meruerant separatim omnes reponi, nec misceri inter reliquos numos. Petrus Scriuerius in Bataucarum antiquitatum armamentario, Philippusque Cluuerius de Rheni alueis numos Romanos isthic inuentos memorarunt. Inter plurima monumenta Domburgensis littoris, in quibus statuae, arae, urnae, pocula, fibulae aliaque inuenta, numi quoque numerantur Traiani, Septimii Seueri, Caracallae & succedentium, quos Oliuarius Vredius & nuper, eruditus antiquitatum septentrionalium & Celticarum scriptor Jo. Georgius Keysler percensuerunt. In monumento Childerici Regis, inuenti sunt consularis vnus argenteus, Neronis vnus, plures Traiani, Hadriani, Antonini vtriusque & Fauftinarum, tum Commodi, Juliae Seueri coniugis, Caracallae, Constantii iunioris. Ex CPLitanis Leonis aureos quinquaginta sex, Zenonis quatuordecim, Marciani septem, Basilici & Marci singulos memorauit Chiffletius. Multi perierunt inter fabrorum tumultus, ex quibus Theodosii iunioris, Valentiniani III. Leonis & alios recuperarunt, diligenti cura enarratos a Jo. Jacobo Chiffletio in Anastasi Childerici. Ex Germania in Sueciam per commercia & sacrorum communionem numi Romani venerunt. Nicolaus Keder e collegio Regio rerum Suecicarum & Gothicarum ornatislimus omnibus laudibus vir de iis ad me haud ita pridem in eum modum scripsit, vt non possim, quin optimi senis auctoritate & experientia ad hanc rem illustrandam vtar. „Numos, inquit, antiquos Romanos Graecosque e telluris Prussicae gremio nonnumquam protrahi volupe audire fuit. Atque tales sane, praesertim Romani, aurei & argentei, per haec plagas aquilonias saepe numero e solo effodiuntur. Eorum vero Gothlandia feracior est. Curiose quippe in museo meo adseruantur non pauci in dicta insula inter arandum reperti. Antiquissimi haud fere aetatem Hadriani Imperatoris superant; cuius etiam vnum, ibidem e terra erutum, possideo. *Atque ex Hadriani numismatis*, ait Atlanticae auctor, *argenteum vnum urna, in conspectu Sacrae Regiae Maestatis Procerumque de tumulis veteris Vpsaliae cl. loc. LXXXIX. effossa seruabat.* Ex qua commemoratione aperte colligitur, posse defossas

fossas in terram urnas perquam diu perdurare. Nemini enim^{cc} apud nos dubium est quin eiusmodi urnae temporibus meri mul-^{cc} tique adhuc paganisimi, in tumulis istis regum Vpfalliensibus fue-^{cc} rint repositae. Quidni igitur & Prussis ex Germania numi Ro-^{cc} mani innotuerint?

Eo igitur tempore, quo maxime vsus Romanorum numo-
rum in Germania inualuit, non dicam pretii causa, quia id liquido
probari nequit, sed munerum ergo in Prussiam illatos pulchritudi-
ne sua barbaros primum cepisse, inque hospitii memoriam & reli-
gionem relictos fuisse numos. Nulpiam toto littore Baltico ma-
ior hospitiorum obseruatio & pietas, quam in Prussia, teste Adamo
Bremensi & Helmoldo. In numis autem, quanta ingeniorum Ro-
manorum magnificentia illuxit! Viderunt id, quo nostrorum prin-
cipum haud aequae multi attendunt animum, nullis monumentis
maiores, diuturniores, latiusque patentem magnificentiae fa-
mam parari. Luculento exemplo Cosmas Aegyptius Indicopleu-
tes prodidit, quanta apud barbaros aestimationis numorum for-
ma fuerit. Narrat enim in Topographia Christiana, Sopatrum
quendam Romanum genere, vt rum Graeci nuncupabantur, mer-
caturae causa exercendae Sieldibam, quae antiqua Taprobana,
Adulitanis nauibus petiisse, ex Perside autem ibidem adfuisse lega-
tum. Vtrumque ab optimatibus & publicanis ad regem deductum,
vt recens appulsis fieri solebat, post peracta officia salutationis, iussu
regis confedisse. Percontanti interim regi de Romanorum Per-
farumque rebus, libido denique fuit quaerere, vter regum, Roma-
nus an Persa maior iudicaretur? Persa occupat laudem regis sui:
Sopater nihilo commotior narrantem eius vires, opulentiam, no-
men etiam regis regum iactantem audit. Rege autem eum corri-
piente, quod taceret, nihil, inquit Sopater, isthac vanitate & fron-
te opus est, vtrumque regem ipse praesentem contemplere. Si-
mul Romanum numum auro aequae ac arte (vt tunc erat) commen-
dabilem & cuiusmodi Cosmas scribit in Indiam exportari, regi
ostendit. Ille & hunc aureum & argenteum *μιλιαρησιον* Persae ab
vtraque parte contemplatus, *ὄντως*, inquit, *οἱ Ρωμαῖοὶ καὶ λαμπροὶ*
καὶ δυνατοὶ καὶ Φρόνιμοι Sopatrumque elephanto per totam urbem
cum tympanis vehi & magno honore adfici iussit. Haec Cosmas
non modo a Sopatro, sed ab Adulitanis quoque compererat. Ac
iste quidem numus fortassis Flauii Anastasii Dicori aut Zenonis
Isauri-

Isaurici fuit, cum Cosmas, qui secundum Montefalconis calculum A. I. XXXV. imperante Fl. Anicio Justiniano scripsit, eundem Sopatrum triginta & quinque annis ante id tempus obiisse prodidit. Numum aut Perozis aut Obalae aut Samafpis & Cobadis imperio signatum Perfa habuit. Hos enim circiter illa tempora regnasse ex Mircondo docet Petrus Teixeira in catalogo regum Persiae, quod alioqui ex Graecis illorum temporum scriptoribus abunde constat. In eadem Taprobana simile fere quidpiam accidit Claudio principe. Nam cum Annius Plocamus libertus Claudii aquilonibus ab Arabico littore, in quo vectigalia a fisco redemerat, in portum Taprobanac delatus, apud regem aliquamdiu moraretur, is nihil magis quam Romanam pecuniam miratus, ob eam causam legatos quatuor cum Plocamo Romam misit. Germani denique, Tacito auctore, donis magnopere gaudebant. *Quae non modo, inquit, a singulis, sed publice etiam mittuntur, electi equi, magna arma, phalerae torquesque iam & pecuniam accipere docuimus.* Illa dona hospitalia plerumque fuisse, ex Cornelio intelligo, qui de Germanorum hospitibus ita scribit, vt Prussorum consuetudinem ex veteri memoria notam & ab Adamo, Helmoldo, Petro Theutoburgensi aliisque celebratam veluti depingat. *Abeunt, inquit, si quid poposceris, concedere moris: & pascendi inuicem eadem facilitas. Gaudent muneribus, sed nec data imputant, nec acceptis obligantur.*

CAPVT SEXTVM

Nondum tamen adparet, cur M. Aurelii Antonini moneta frequentius, quam aliorum inueniatur. Aristides quidem oratione in Romam edixit, hoc maxime tempore Romam *καιὸν ἀνθρώπων ἐμπόριον καὶ κοινὴν τῶν ἐν γῆ Φοινικῶν διοίκησιν* fuisse, tum nihil adeo in India aut Arabia existisse, quin Romam transferretur in forum *ὡς ἐικάζειν γυνὰ τὸ λοιπὸν τοῖς ἐκεῖ λελεῖφθαι τὰ δένδρα, καὶ δεῦρο δὲν ἐκείνους εἰλθεῖν, εἰάν τε δένονται τῶν σφετέρων μεταπέτηστας.* Attamen non abhorreo, si quis in ea est sententia, vt existimet, expeditioni alicui id deberi. Vt ex Herodiano didici, Antonino animus fuit, non tantum *τὴν ὑπὸ τῆ ἀρκτῶ ἐρχὴν ἀικεανῶ ὀρίξεν*, sed & in quo reliqui scriptores assentiuntur, redacta sub potestatem Sarmatia, nouam prouinciam condere. Et quamquam ultra Istrum non multum in Pannoniam prouectus Romanus est, refugium nuspiam nisi intra Istrum habens, attamen in exercitu barbarorum riac

riae gentes erant, teste Julio Capitolino, non Germani solum, ipsique Hermunduri, fidissima quondam Romanis gens, sed & Vidouali, Sarmatae, Roxolani, Bastarnae, Alani, Peucini, Castobocae. Peucini ab aliquibus nostrum non intelligentibus Cornelium Tacitum in Prussia perperam ponuntur. At isti siue e Bastarnarum gente sint, siue eorum vicini tantum fuerint, Peucen incolebant insulam a Cl. Ptolemaeo, Strabone, Stephano Byzantio, Eustathio ad Dionysium, memoratam, Rhodo insula, vt testatur incertus peripli Ponti Euxini auctor, haud minorem. Joannes Hudson monet, non esse confundendos cum Peucinis Sarmaticis ad montem eodem cognomine. Ego vero nuspiam inuenio, quod diuersos Peucinos mihi probet. Tacitus loco eodem, vbi adhuc sunt, Fennos ponit, in ostiis autem Istri Peucinos, Venedos denique medios inter vtrosque. *Venedi quicquid inter Peucinos Fennosque siluarum ac montium erigitur, latrociniis pererrant.* Tametsi autem Peucini Prussiae accolae non fuerunt, attamen ceterae gentes satis nobis vicinae erant. Hae numos Antonini secum perferre in has terras potuerunt. Inde & in Polonia & Curonia multi Antoniniani ex agro eruuntur. Samuel Rhanaeus patriarum rerum industrius explorator duos numos in Scrimtico agro repertos mihi scripsit, vnum in quo Antonini facies optime conseruata exstet, congruenter penitus cum eo, quem L. Begerus in thesauro f. 674. num. 3. exhibet Germanica victoria signatum: (tantum, quod AVG. TR. P. XXV. NON XXVI. in Rhanaei numo legitur) alterum, quem ab aerugine exesum non cognoscit Rhanaeus cuius Imperator sit, Victoriam alatum tantum accuratius in eo obseruans.

Sed Crispinae quoque numum inuentum esse aliquis obiciet nobis, illa autem ducta in matrimonium est a Commodo, paullo ante expeditionem postremam, in cuius medio apparatu Antoninus Vendobonae diem supremum obiit. At enim, satis temporis fuit, vt & percuti numus & vulgari posset. Deinde res quoque a Commodi ducibus aduersus Sarmatas sunt gestae, testimonio Lampridii & Herodiani. Ponam Herodiani verba, vt constet, pecunia quoque Romana Sarmatas corruptos fuisse. *Οι καὶ ἔ πολλὰ χρόνια πλείους τῶν βαρβαρίων ὄπλας ἐχειράσαντο, τὰς δὲ ἐπὶ μεγάλαις συνάξεσιν ἐς Φιλίαν ἐπηγάγοντο, ἕκαστα πείσαντες. φύσει γὰρ τὸ βαρβαρον φιλαχρηματον. Ἀπερὸ Κομμοδος εἰδὶς καὶ τὸ ἀμερμνον ἀνεμειως ἐφειδῶς τε ἔχων χρημάτων, πάντα εἰδὶς τὰ ἀτέμενα.*

D

Simi-

Simili fortuna bellorum, quae cum Alanis fuere gesta, CPlitani numi ad nostros maiores pervenerunt. Nam non ita Graeci posteriorum temporum vt Romani mercaturas succinorum exercuerunt, per quas numi eorum ad nos perferrentur. Non ignoravit Prufios Laonicus Chalcocondylas: Sed nihil ibi de mercatura, nihil de succino: καὶ ἡ μὲν τοι πρὸς Ωκεανὸν διήμιστα Σαρματία ἐπὶ Πρῶσιαν, καλεσμένην χώραν διήκει καὶ ἐπὶ τὰς ταύτην (καλεχικώτας) Λευκοφόρος Ναζηραῖος καὶ ἱερὸν τὸ ἐν τῇδε τῇ χώρᾳ. Δοκῶσι δὲ γένος τέτο εἶναι Γερμανοὶ καὶ Φανῆ τῇ αὐτῶν ἐκεῖνῶν προσχρώμενοι καὶ διαίτη. Οἰκῶσι δὲ πόλεις περικαλλεῖς καὶ εὐνομιζόμενας ἐς τὸ κράτιστον. Ἐστὶ δὲ τῶντα ἱερὸν ἡδὲ καὶ τὸ ἐν Ἰθρία ἱερὸν νομίζεσθαι καὶ ἐν Ρόδῳ ἐνοικῆν Ναζηραίων γένος. Ταῦτα γὰρ δὴ τὰ τρία ἱερά ἀνατὴν οἰκισμένην ἐς τὴν τῆ Ἰησῆ Ἰηροκίαν, ἐπὶ τὰς βαρβάρους ὠκημένα δὴ καὶ αὐτῶν εἰσι. Τὰ τε ἐν Ἰθρία πρὸς τὰς ταύτη τῶν λιθῶν διαβάσας καὶ πρῶσιαν πρὸς τε τὰς Σαμάτας καὶ Σκυθῶν τὰς Νομάδας αὐτῆς ταύτη ἀγγεῖ τὸ παλαιὸν ὠκημένους καὶ Ροδίους δὲ πρὸς τὰς ἐν τῇ Αἰγύπτῳ τε καὶ Παλαιστίνῃ δια τὸν τῆ Ἰησῆ ταφῶν καὶ πρὸς τὰς ἐν Ἀσίᾳ βαρβάρους. Πρῶσιον δὲ ἔχουσι Σαμάτου. Clauferi versio ita aliena est etiam hoc loco a vero sensu, vt mirer Fabrotum in tam magnifico opere eam retinuisse. Ita igitur verto, quibusdam in Laonico emendatis, vnaque voce ex coniectura restituta, quam oportet ibi excidisse, aut similem aliam: *Sarmatia, qua ad Oceanum vergit, regione, cui nomen est Prussiae, quamque monachi albo amictu vestiti sub imperio tenent, & monasterio eius regionis terminatur. Videntur autem illi genere esse Germani, lingua videlicet vna utentes & eisdem moribus. Incolunt vrbes perpulchras & quam optime legibus administratas. Est igitur illis domus religiosa in ea regione, sicuti in Hispania & Rhodo genus quoddam monachorum tales domos tenet. Nam has tres domos in toto terrarum orbe ad firmandam religionem Christianam aduersus barbaros aedificatas esse constat: in Hispania aduersus Afros, qui eo traiciunt, in Prussia aduersus Samogetas & Scythas Nomadas, qui inde ab vltima memoria proxime haec loca colunt & in Rhodo denique aduersus barbaros in Aegypto, Palaestina & Asia ob sepulcrum Christi. Prussis contigui sunt Samogetae.* Constantinus Porphyrogenneta in thematibus ab Bandurio editis, similiter Marianorum equitum ordinem nouit. Sed de mercatura succini qui aliquid proderet, inueni neminem. Ex Persis Choia Naffir Eddinus & Vlugbegus Tamerlanis nepos, is ante annos quadringentos & quinquaginta admodum nobilissimus Persarum astronomus, hic autem centum & septuaginta an-

nis

nis post, Transoxianorum Indorumque princeps in tabulis longitudinis & latitudinis urbium *قويابا* *Kuiabah* ponunt, velutia Graecis cognitam. Enimvero siue scriba, siue Jo. Grauii errore acciderit, *Kiouiam* in animo habuere, mercatura & Graeca religione celebrem urbem. Id non tam eo probo, quod in Russia eam orbem posuere, (nam & *ساقسن* hoc est, Saxoniam in eadem regione ab iisdem collocata est) quam quod diserte addunt *مدينة روس* urbem ac metropolin Russiae esse. Conuenit quoque dimensio *Kiouiae* magis, quam *Cariuiae*. Non igitur constat Persis Tartarisque cognitam fuisse Prussiam, aut succinum nostrum inter Graecos Asiaticosque populos fuisse vulgatum. Incertus auctor *ἐξηγήσεως ὅλας κόσμου*, qui Constantio & Constante imperatoribus scripsit, nihil de Germanis, aut, ut tunc dicebant, Alemannis & Francis prodidit, alioqui curiosus rerum, quae ex quouis loco a mercatoribus adferrentur. Si verum est, quod Jac. Godofredus sensit, Syrum fuisse, ex eo silentio colligas nullam consuetudinem magnopere Syros cum Germanis maioribusque nostris habuisse. Habent sua succina Indi & Arabes his nostris meliora ad eum usum, quo maxime capiuntur, succinum. *Ambra* vocant, nec Plinio ignoratam in historia succinorum: *gratius* inquit, *est Indis thure*. Symeon Sethus *περὶ δυνάμεως τροφῶν* ad Michaelem Ducam, *ἀμπάρ* vocat, dicitque quibusdam fontibus ebullire, optimumque in Indica vrbe Silache venundari, diuersum ab eo *καὶ ὑπὸ λευκὸν* in littore Arabiae felicis, nigrum autem & pessimum in piscibus reperiri. Postremum etiam M. Paulo Veneto memoratur. Ut Thomae Hydes coniectura nobis persuasit, *ambra pulchrum & coeruleum colorem* significat. Magis enim probo Persicum quam Germanicum esse, ut Jo. Georgius Eccardus septentrionalium rerum ingeniosissimus & doctissimus interpres praefatus ad Collectanea etymologica existimauit. *Succinum*, inquit, *certe a Germanis ad Arabes delatum, vnde & nomen ab iis venisse verosimile est*. Immo si non constaret & diuersam ambra a succino esse & in Indiam ex Germania succinum perlatum nullo in pretio semper fuisse. Et si ambra ab *amberen*, *anbernen* hoc est vrendo necesse est deriuare, vnde nomen fluminis, cuius Saxo poeta in Annalibus Caroli M. meminit, ductum putabimus. *

* Script. Brunsvicens. t. I. f. 133.

*Qui valida comitante manu Saxonica statim
Arua petens, iuxta fluvium confederat Ambram,
Est ubi castellum, quod Skinderonburg vocatur.*

Saidi Gorganensis testimonio etiam in littore maris Indici, Perfici & Arabici, quo loco Omman emporium situm est, inuenitur. Postremum confirmat Eledrifus (quem Nubiensem geographum vulgo vocant) cuius quoque opinio aliquando propius accedit ad originem nostri succini cum Auicennae, Ibnolcutbii, Davidis Antiocheni, Mahometis ibn Achmet, Altemimi & paucorum aliorum opinione conueniens. Existimat autem e profundo maris gurgite eiici, cum e contrario Jacobus de Vitriaco, Nicomedes Iatrofophista multique Arabes & Persae purgamentum piscis esse opinati sunt. Eledrifus quoque tradidit, succinum in Romano, id est, Adriatico mari & prope Andalusiam egeri, vt fere videatur nostrum succinum ibi inueniri credidisse, vnde in Arabiam adueheretur. Calcoschendus Aegyptius hanc ambram occidentalem vocat, quod ex Andalusia mercatores aduehant. Enimuero quicquid sit, pessimum omnium ab eodem Calcoschendio iudicatur, praeterquam quod colore succinum optimum omnium referat, Schirensē. Huius pretium ob odoris gratiam longe maius est. Qui cupiat conferre ambram cum succino, is adeat Salmasium in homonymis hyles iatricae Gentium in notis ad Musladinum & Th. Hydum in itineribus mundi. Sinenses quoque succinis vtuntur, de quibus Andreas Mullerus se aliquid legere meminerat in libro quodam Sinico bibliothecae suae, complexo *υλην* in medicina vsurpari solitam: *ubi*, inquit, *& succini Borussici fit mentio*. Est hic liber in bibliotheca Sedinensi a me visus. Quantum ad veritatem Muller isthaec prodiderit, nullum fuit tempus exploraturo mihi. Alii viderint.

Quae cum ita sint, inferri Graeca pecunia non potuit per mercaturam. At scutellatum numum aeneum Reinaldus Perbantus mihi dedit, A. clō loc xcvi. fratre suo Stobriccae in agro inuentum, quem hic exhibeo in TAB. I. Fig. 4. Videbar mihi in huius numi postica, qua elatior est, spicam cernere, ob quam causam ad slyphatos Siculos referebam, quales constat ex Chronico Casinensi, signatos a Siculis ex gente Normannica principibus. Plerique autem barbari imitabantur earum numos gentium, quas subegerant. Siculi vtique prisco tem-
po-

TAB. I.
Fig. 4.

pore spicas, ad significandum agri vbertatem, in numis exhibebant. Sed inclinatur animus, ut potius vnam interpreter, Byzantii signum, sicuti in quibusdam Iuliae Domnae, Septimii Getae & vrbis adhuc liberae, cum nomine *BYZANTIΩN* visitur. Caucios vocabant istius modi numos *CPlitani*, quod calicis in modum curuarentur. Fateor tamen spicae multo similiorem esse, quam vuae. Fuit quoque Byzantii agri magna fertilitas. Allatum numum credo a Russis, qui in has terras commerciorum causa migrare soliti *CPlitanis* numis diu sunt vsi. Laonicum Chalcocondylam quoque arbitror, sua de rebus Prussicis sumpsisse ab Russis negotiatoribus. Scio suppetere numos Constantinianae familiae in Prussia inuentos, sed vniuersi sunt primorum eius nominis imperatorum, allati ab Italis mercatoribus in Germaniam, inde a Theutonis ad nos. Hunc vnum caucium, cuiuscumque sit imperatoris, a Graecis fuisse allatum, non est credibile. Citius credam a Marianis equitibus ad nos peruectum fuisse: sed maxime placet a negotiatoribus Russicis, ut antea dixi. Ceterum in illo caucio imperator dextera crucem, sinistra orbem fert, prope quem nubium quoddam, ut mihi videtur, vestigium est. Quis autem imperatorum sit, nec facile suspicer, nec, si suspicer, aliis persuadeam. Byzantius autem ille non est, quo nomine vtrum numus aliquis in Prussiam fuerit auectus controuersia manet. Dictos eo nomine aereos, nusquam legi. Aureos autem argenteosque byzantios M. Paulus Venetus memorauit, ac secundum eos reliquam pecuniam Asiaticam censuit: *ut, inquit, quandoque vix pro duobus millibus byzantiorum aureorum pelles pro vnica tunica sufficiant.* MS. Bero-
linense addit, *si de pelle perfecta est: si autem de communi, adscendit ad valorem mille byzantium argenti.* Vetus Gallica versio primum illud, *bis mille florenos* interpretatur. Robertus Cenalis diligentissimus ponderum explorator, quamquam M. Paulum legerat, byzantios nescio quam ob causam omisit. Marquardus Freherus in re monetaria Germanici imperii, accuratius eos percensuit, omnium accuratissime Eduardus Bernardus * Zonaram, Balsamonem & Glossas Basilicas secutus expendit. Nobis Guibertus Abbas ** ad pretium byzantiorum prodendum, facem omnium luculentissimam praefert. *Asini, inquit, vnus ex frumento sarcina octo byzan-*

* p. 108, 169, 170. ** Gesta Dei per Francos f. 501.

teorum pretio distrahebatur, quos ibidem purpuratos vocitant, centum viginti numorum solidis aestimabantur. Itaque byzantius efficiebat quindecim solidos illo tempore, cum, ut ex Glossis ostendere possum, a Valentiniano Seniore effecerint duodecim solidos seu miliarenfes. Incertus, at Italus a nobis vocandus auctor gestorum Hierosolymitanorum, vnum panem byzantio venisse scribit, Albertus Aquenensis autem eodem tempore, duobus solidis, cum sine omni controuersia corruptus sit locus & duodecim scribi oporteat. Ex quo fere conicias, Alberti solidos ab illis Guiberti, pretio aliquanto fuisse diuersos. Minime autem existimandum, byzantios adeo raros esse, vt praeter illum Freheri vix alibi inueniatur alius, sicuti, nisi me omnia perperam fallunt, Prussicorum numorum explanator nuperus censuit. Byzantii sunt, quotquot CPLi percussi fuerunt, quorum sane ingens numerus est. Notum & celebre nomen Byzantium, etiam postquam CPLis cognominata vrbs est. Mamertinus Maurus in oratione ad Iulianum: *haec nominis noui, sed antiquissimae nobilitatis ciuitas*. Rediit vrbi vetus nomen cum litterarum studiis prolapsis, in grammatica sola & rerum nominumque veterum cognitione omnem eruditionem reponerent Graeci. Nam cum elegantia nitorque prisca sermonis occidisset, in minutis quibusdam (quod etiam apud Latinos illarum aetatum scriptores accidit) ac praesertim vrbiuum veteribus nominibus, quae exoleuissent, vsurpandis sitam esse vniuersam venustatem rebantur. Vnde apud scriptores Byzantiae historiae ad unum omnes multo frequentius vetus nomen, quam CPLin legas. Inde adeo numi Byzantii, non Byzantini: nam in illum modum Stephano & Hermolao CPLitanis testibus τὸ εὐρικὸν eius vocabuli desit. Sic apud Herodotum, Thucydidem, Polybium, Appianum, tum ex Latinis M. Tullium, Liuium, Cornelium vtrumque vsque ad Trebellium Pollionem. Serius Byzantini dici coeperunt. Sic numi liberae ciuitatis BYZANTIŌN inscribuntur apud Jo. Harduinum in numis vrbiuum & Carolum Cangium in CPLi Christiana, nostra quoque manu nostrisque vsurpati oculis. Numum autem istiusmodi, qualem Freherus habet, Michaelitam vocabant, vt apud Vilelmum Tyrium: * *Triginta millia Michaelitarum, quod genus aureorum tunc in publicis commerciis erat celebre, a quodam imperatore CPLitano, qui eam monetam sua fecerat insignem imagine, Michaellem*

* f. 802.

nomine. Is est Michael Ducas auctore Anna Comnena. Eandem monetam inter Armenios valuisse Vilelmus Tyrius refert.

In Prussia vero Byzantios aliquando vulgatos, imo ab Ordine Teutonico percufos fuiffe, neutiquam credo. Itali eo tempore, cum Exarchae Rauennates numos ferirent, Byzantios in Francis & Germanis vulgarunt: fed quam primum Francis ius cudendi numos fuit, etiam Byzantii prohibiti fuiffe videntur regno inferri. Ansegifus* ex capitularibus Caroli Calui profert edictum: *quicumque alium denarium negociandi cauffa protulerit, auferatur ab eo.* In Germania tamen haud fcio, an diu nomen Byzantium vfurpatum vulgo fuerit. Est mihi vetus Roberti monachi interpres homo simplex adeo, vt in ipfo principio iocularem errorem committeret, cum non intelligens haec verba: *magnum inter fines Galliae concilium celebratum est in Aluernia, in ciuitate qui Clarus Mons appellatur,* ita explicaret: *da ward gehalten zu lebrattum (celebratum) in Welfchenlanden Gallicii in dem Land Aluernicii in der stat Clarmon ain gros consilium.* Is quidem byzantios vertit alicubi, tamquam noffet: *Ensem alter emit sexaginta byzanceis, das Schwert kauft ain ander umb fechtzig bysantzen.* Sed quid essent, reuera ignorauit. Id adparet ex hoc exemplo: *Subtumulauerunt quippe & plurima palmis (l. pannis) inuoluerant & byzanteos aureos, arcus reposuerant.* Quae is ita vertit: *Wann sy hetten sy begraben, und hetten sy wol beclaidet etlich in gulden claiden, und legten zu in ire wauffen.* Codice alicubi vfus meliori est editis. Scriptus est meus A. cl̄ cccc lxxi. Sed antiquior multo versio est, quam vt tum sit facta. Constat ex Trithemio in Annalibus Hirsaugensibus ad annum cl̄ cc xl. inde ab ultimo tempore vsque ad Trithemii aetatem aureos fuiffe Augustanos dictos ab Germanis, & ducati nomen tum primum in Italia fuiffe natum.

Cum autem obiicitur mihi in Consuetudinibus Ordinis legi: *licere magistro Ordinis centum byzantios mutuos dare,* id ego minime inficias eo. Sic autem in Consuetudinibus maioribus ex duobus membranaceis codicibus lego, constitutione XIII. *Der meister mac vriliche geben oder liben etewem des buses vrunde bundert bisande, oder andere dinc, die also tarwer sint.* (alio codice: *die also tyre sint*) *Wil er aber vunf bundert hine geben, daz sal er tun mit zehñ bescheidener brudere rate. Vber vunf bundert sal er nicht hine geben ane des capite-*

* t. 1. f. 740.

les willen. Enim vero haec tantum versio est earum constitutionum, quae in oriente ab ordine sunt factae. In iis capite XCIII. sic legas. *Magister libere dare vel mutuare potest alicui amico domus centum bisancios vel alias res aestimationis similis & valoris. Si quingentos alicui dare decreuit, consilium decem fratrum discretorum adhibebit. Si ultra, consensus erit totius capituli requirendus.* Falsum quoque est, Gallicum interpretem libras vertisse. *Li maistres peut donner franchement ou prester C. bz. a aucun ami de lordre ou prester autre choses de ceste meismes valor.* Itaque haec in Prussia non scripserunt, utpote cum etiam Magistro scriptorem Sarracenicum (*einen heidenischen schreibere, Escriuani Saracinois*) & Turcopulum pro scuto & lancea deducendis, (*einen Turcopel der sinen schilt vnd sin sper vure*) concedunt alibi, pro consuetudine orientalium. Quid enim Saracenco seu Arabico scriba opus inter Germanos haberent? Ita consuetudo est sacri belli scriptoribus aureos, byzantios appellare, cum de rebus Asiaticis agunt; ut ex Anonymo Francicarum rerum scriptore, Baldrico Dolensi, Roberto Monacho, Guiberto Abbate, Alberto Aquensi, Gautherio, Fulcherio Carnotensi, Raymundo de Agiles, Jacobo de Vitriaco & innumeris aliis ostendere possum * Sed per ignorantiam iidem scriptores, etiam الدينار denarios Turcicos eo cognomine vocant, excepto vno Villermo Tyrio, homine videlicet Syro & Arabicae linguae consuetudinisque gnarissimo, tum accurato in primis scriptore. Apud eum videlicet nusquam id nominis occurrit, cum aureos locis admodum decem dicat. Duo tamen loca in eodem sunt, primum in conuentione inter Venetos & Hierosolymitanos, tum in edicto Balduini IV. quae Villermus commentario inferuit, vbi byzantii sarracenati, ut & apud Gautherium, nominantur. Anonymus Italus ** *quindecim milia bisanteos* dixerat, ut supra posui, at Villermus totidem aureos habet. Villermus & Jacobus de Vitriaco aureum vnum ab ingredientibus Hierosolymam Christianis dari fuisse solitum prodiderunt: at alii byzantio vno intromissos scribunt. Non est verosimile, Turcas CPlitanos numos contrectasse, in quibus Christianae pietatis signa impressa erant, utpote cum ne humanas quidem facies ferant in pecunia, nedum coelestes. Erant autem earum aetatum numi omnes σαρρακηνιστοι, quotquot CPli feriebantur. Sed &

* Gesta dei per Francos f. 24. 29. 138. 117. 463. 1063. 1111. &c. ** f. 463.

in Germania Galliaque byzantios vocatos quosuis numos aureos, alia *πρωτομνῆ*, alio loco, alius imperio, quam CPLitanorum Caesarium, signatos, vno pretio conuenientes, Carolus Cangius suspicatur in inferioris aevi numismatibus. Ita & Marianos equites in versione suarum Constitutionum quamcumque monetam auream byzantios appellasse reor, vt hodie nos ducatos a ducibus Italis, tametsi regum faciebus signatos. Byzantios autem in vsu apud nos, aut a Marianis signatos fuisse, ex illa constitutione nequicquam nostri probare nituntur.

CAPVT SEPTIMVM.

Postremum iam quaero, quis vsus numerorum talium apud nos fuerit? Nempe qui numerorum hospitalium esse poterat. Memoriae causa asseruabantur & denique inter pretiosas res in tumulos inferebantur. Inde ad nostram aetatem seruari sunt. Romani moris fuisse, pecuniam condere cum mortuis, satis constat. In duodecim tabulis, quoniam ante Punicum bellum & M. Liuium, C. Claudium Neronem Coss. aurum signatum nullum erat, prohibitum est, ne rude aurum cum mortuis defoderetur. Et Vlpianus in Pandectis censet, nec ornamenta cum corporibus condi oportere, nec quid aliud eiusmodi, sicuti simplices homines facerent. Quo etiam vestimenta vltima eius tituli lege prohibita in funus erogari, pertinent. Illa autem in testamento saepe definiebantur, vt in hoc apud Sceuolam, cum mulier inferri vellet in monumentum, quaecumque sepulturae causa gereret ex ornamentis, lineas duas ex margaritis & viriolas ex smaragdis. Interdictum quoque principalibus mandatis, *μη συντάττειν τοῖς τεθνεῶσι χρηματα* vt Basilica habent. Ex Longi Sophistae *ποιμενικῆς* intelligo, qui infantes exponerent, *παύρια* quaedam apposuisse, non tantum vt *γνωρίσματα*, sicuti saepe, vt essent, accidit, sed etiam vt *ἐντάφια*. Inde sine controuersia fabula est nata, quae apud Eutyrium Alexandrinum exstat, cum Adamo quoque aurum, thus & myrrham in sepulcro fuisse condita. Qui de Romanis numis in sepulchris repertis plura cognoscere cupit, is Tenzelium legat eo loco, quo Eggelingii epistolam de orbe stanneo Antinoi erudite, pro more suo, recenset; * non enim soleo retractare, quae alios plene cumulareque tradere memini. Omnium fere septentrionalium populorum,

* Colloq. 1691. p. 885. seq.

Scytharum etiam eadem consuetudo, ducta ab antiquissimis communis religionis temporibus fuit. Anonymus Italus, * de gestis Francorum & Hierosolymitanorum tradit: Turcas Antiochenos sepeliuisse cadauera suorum vna cum palliis, byzanteis aureis, arcubus, sagittis & aliis sine nomine instrumentis. Baldricus Dolensis:** *Quae subtumulauerunt palliorum & pretiosarum exuuiarum gazis persecuti sunt & arcus & pharetras & plurimos byzanteos mortuorum procuratori adiecerunt.* Robertus Abbas S. Remigii. † *Subterrauerunt quippe & plurima palliis inuoluerant & byzantios aureos, arcus, sagittas & alia multa cum illis reposuerant.* Sic enim eorum consuetudo sepelire: nostrorum vero est, libentissime ea tollere. Idem confirmant Guibertus Abbas, Villermus Tyrius, Raymundus de Agiles*** (sed loco admodum corrupto) & ex recentibus Franciscus Sansouinus. † Jornandes in funere Alarici Regis Gothorum & Attilae testis accedit. De Gothis antiquis idem colligas ex Haconis historia, **** in qua narratur Haco more profano sepultus cum armis & supellectili omni exceptis diuitiis. Inde & creditum est in monumentis reconditos thesauros esse, vt in libro veteri Gothico inter prohibitas caeremonias referatur: *abiuratio dei & sanctae ecclesiae, vt in tumulis opes inueniant.* Videlicet idcirco in edicto Theodorici, in Salica & Longobardicis legibus grauissima multatur poena, qui sepulcra turbassint hominum. Fere sic Comicus in Pseudolo:

Ex hoc sepulcro vetere viginti minas

Effodiam ego hodie, quos dem herili filio.

Ex Francicis omnium consummatissimum est Tornaci inuentum Childerici regis monumentum. De quo dixi supra. Non autem tantum in vestitu tumulando magna Francorum prodigalitas fuit, sed in ceteris quoque rebus vna sepeliendis. Inter decreta ad leges Alamannorum a Baluzio edita: *Si quis superius mortuum suum de alienas res, quae valuerit solidum (sic legi debet) in terra miserit, soluat solidos quadraginta, & si tremissis aut duos valuerit, soluat solidos duodecim.* Ingens pecunia, si ad reliquas multas compares in legibus Alamannorum, Ripuariorum & Baiuuariorum. Ex quo colligo frequens peccatum graui poena coercendum fuisse. Haec in Gallia etiam sub Dagoberto A. 633 restaurata per omne imperium valuerunt.

* f. 13. ** f. 107. † f. 51. *** f. 506. 701. 147. † nell' historia dell' origine & imperio de Turchi p. 37. **** Konung Hacon Adalstens fostres saga & Gulapings lagen Kristendoms balck ex fide Keyseri.

Detleuus Rhodius insignem veteri monumento collem ante hos septem & viginti annos aperiens varia instrumenta quoque re-
 textit. Numos autem in Frisicis, Trenthenfibus, Vestualicis, Lu-
 neburgicis agris inueniri Jo. Georgius Keysler annotauit. Eun-
 dem modum maiores nostri in sepeliendo tenuerunt. Petrus
 Theutoburgensis: *cum nobilibus mortuis arma, equos, seruos, ancillas,
 vestes, canes venaticos, aues rapaces & alia militiae instrumenta exure-
 bant: cum ignobilibus autem id, quod ad officium suum pertineret.* Quae
 etiam Chronicon Ordinis ineditum & ex eo Paulus Polonus in
 Chronico MS. confirmant. Id multo magis confirmatur iis in-
 strumentis, quae in agro inueniuntur, quorum quaedam Heluin-
 gus publicauit, plura apud Gabrielem Fischerum, Joannem Ride-
 lium, Samuelem Rhanaeum aliosque reperiuntur. Vilelmus Ru-
 pson Presbyter Elbingensis ad D. Corporis in Annalibus Elbingen-
 sibus ineditis prolixè commentatus de reticulo quodam capitis,
 quod Poggiae fuisse memorent, non sine honore nominandus est
 mihi. Habet enim hanc Elbinga laudem, vt in eruendis patriae
 vetustatibus, nulla nostrarum vrbium plus solertiae, ingenii, labo-
 risque attulerit: is autem Rupson inter diligentissimos eius vr-
 bis est commemorandus. Poggiam filiam Hoggonis Vaideuuti ne-
 ptem, puellam pulchram, moratam, deabus familiariter vsam, in
 Querceto non procul Elbinga claustrum incoluisse maiores prodi-
 derunt. Eius virginis ornatum, quo crines implicare fuerat solita,
 A. cl cccc xcix. in monasterio S. Brigittae fuisse repositum
 constat. Quo deinde peruenerit, Rupson ignorat, praeterea sus-
 picatus furto ablatum, Gedani certe A. cl lcc LV. ab aliquo vi-
 sum prodit. Longum erat id reticulum dimidio cubito, contex-
 tum *ex neruis bubulinis*, vt ipse ait, *arte compressis*, durum atque ad
 frontem habens lapillum laminamque cum effigie. Fridericus Za-
 melius in monumento familiae:

Vidimus illius nuper frontalia diuae

Cornea, deformem medio claudentia gemmam.

Suspicitur Rupson ab Marianis equitibus fuisse inuentum id reti-
 culum, cum Quercetum in theriotrophium commutarent. Quae
 tamen omnia mihi abhorrentia a vero videntur, quoniam nullius
 fati firma fide sunt prodita. Alterius potius credam mulieris or-
 namentum ac simul cum ea conditum humo fuisse. Imo ne qui-
 dem paganae sed Christianae mulieris fuisse contenderim. In vr-

TAB. II.
Fig. 2.

na Elbingensi elegantissima omnium, quas meminimus exstare, quam A. clo lcc LXXXVII. in agro Meuiano inuentam Martinus Vilenius patre Presbytero apud Meuenfes, notarius primum Elbingensis, postea Gedani Actuarius Praeconsularis lue epidemica extinctus, in curiam Elbingensem tradidit, vnde in bibliothecam est reposita, maiores natu tradidere instrumenta aurea a Rupsone fuisse inuenta. Certius mihi constat, quod Andreas Lilienthalius Regi a consiliis rationum domesticarum, praeter ceteram supellectilem, vrnam habet A. clo lccv detectam, (vide TAB. II. Fig. 2.) in qua vnio succineus paullulum ab igne exesus iacuit. Perquam antiquam vrnam esse, ipse locus docet, in quo composita fuit. Haud procul veteri castello Balga (Prussi Honedam vocarunt) in colle quodam, qui a testudinibus nomen habet, procella nudauerat cacumen harenaque amota vrnam aperuerat; itaque sine labore eruebatur. Sed operculum aberat, sine dubio a procella ablatum interque harenarum molem tumultatum. Lacertae quoque ossa intus erant, qualia in bustis vrnisque etiam aliis animaduersa sunt. Ansa quatuor deciderant, cum vrna incautius extraheretur. Nullus autem cinis, sola hominis ossa supererant. Vnio vestigium habet vstionis, vt in incendio cadaueris quoque iacuerit. Quod autem vnus est, eo factum, quia ceteros incendium aboleuit. Dixi iam supra de cadauere in Anconitano agro detecto, cuius ornamenta ex succino fuerunt. In alio quoque monumento Coloniae in pago, sito a Barmstede vnum lapidem, A. clo lccci inuento, similiter aureus vnio vnicus a Detleuo Rhodio detectus est. Itaque in aliam sententiam inclinat animus, sed nihil inuenio, in quo acquiescam. Aurium fuerit hic apparatus? cur autem duo non sunt? Ex succineo tamen vnione conicio veterem admodum tumultum esse, cum aliquis honor adhuc succino haberetur apud nos, qui prorsus deserat Marianis impressionem in has terras facientibus. Eodem tempore, quamuis rudi arte, laboratum tamen est etiam hic regionum succinum. Locus vetustatem, vt dixi, aperit. Castellum enim illud ex primis fuit, quae Mariani tenuerunt, numquam postea a barbaris expugnatum. Occupatum est a Marianis quindecim annis ante conditum Regium montem & eodem, qui haec prodidit, teste Petro Theutoburgico, breui postea castellum, a quo mons Testudineus nomen seruat, ad muniendum aditum fuit locatum. Ergo longe antea inferiae profanae in eo monte fuerant factae.

Sed

Fig. 1.




Fig. 2.



Sed aliud monumentum ab Lilienthalio nobis ostensum est, quod & nostram opinionem de pecunia contumulata firmat & cetera dignum est, vt accuratius consideremus. Cum A. clo lo cur. Idibus Octobribus Christianus Reimer agrimenfor regius in Eilana regione * Stablacanam agrum iussus esset metiri, in denso frutice-to meridiem versus collem offendit inusitatae formae, tamquam furnus esset, arboribus virgultoque multo obseptum & lapidibus quoque musco vetustatem prodentibus aggestum superius. Id cum veteris termini vestigium putaret agrimenfor, perfodere instituit collem, carbones aut vitra perquisiturus, si qua essent, certo termini indicio. Incipientibus moliri lapides ab eo loco, qui A. signatur a nobis, sonus aliquis auditus est, qui rem maioris momenti, quam terminum proderet. Primum fodientibus obuenerit lapis ab eodem loco, paene quadratus, sectus & ad specum oris aequalis positus. Specus autem erat altitudine admodum quatuor pedum, latitudine duorum & dimidii. Supra & a lateribus obiecta erat simili lapide. Erant autem lapides subnigricantes, disiecti omnes, sed non politi. Stratum erat arena sublutea. In eo ex ordine tres urnae stabant. In medio B. maxima erat subfusco colore & punctis nigricantibus distincta, cyathos nostros (*Stuffas* dicebant maiores nostri barbare) admodum sex comprehensura, pede vno altior, plena cinere humido non tota, positus supra humanis ossibus. Altera urna C. conciderat in latus concussu fortassis fodientium loco mota, nouem, ad decem pollices alta nihil omnino continebat: quod facit, vt potius credam non tum primum concidisse, ac zythum qui in ea forte fuerat, effusum dudum fuisse. Maiorem urnam & hanc alteram reposuerunt locis suis, quod illa maior quam vt commode ferri posset, haec vero contracta iam esset. Tertia urna sex pollices alta, triginta veteres Crucigerorum numos habebat, quos nemoris custos Joannes Augustus Eichelberger, vtpote rem nullius pretii iudicans iis diuidebat, qui aderam. Duos numos ex iis inter cimelia Lilienthalii vidi Michaelis Cochmeisteri signatos nomine, vt quo tempore conditum hoc monumentum fuerit, teneamus. Idem Eichelberger urnam eam secum tulit. Ante tres urnas vitrum stabat duos pollices altum subcoeruleo albicanteque colore infectum, vt lac in eo fuisse credas, non lacrymas. Nunc siccum vitrum & sine liquore vilo erat. Cernitis ex moneta, compositum hoc tumulo corpus fuisse Christianis temporibus. Is enim Michael

* Eilauische ampt.

TAB. II.
Fig. I.

obiit A. cl^o ccccxxii. Anonymus quidam scriptor inediti libelli de Sudinorum caeremoniis (*der Sudawiter, die itzund die Sudauer genant werden ceremonien und bockbeiligen*) quo Matthaeus Vaisselius interpolato auctoque multis locis in Chronicis Prufficis vsus est; quaedam tradidit vehementer ad nostram rem & monumentum „hoc pertinentia. „Induunt, inquit, cognati mortuum ipso exequiarum die, cultrum ad latus & linteum circa collum accingunt „eoque linteo inuoluunt pecuniam. Cum ad sepulcrum funus „cadaueris deductum est, viri aut mulieris eius, qui conditur, simul „lacrum quoddam ad tumbam exurunt & vna cum cadauere ceterisque eius rebus sepeliunt. Satis luculentae reliquiae veterum caeremoniarum, ex quibus coniectura fieri potest, quomodo antiquitus cadauera humata sint. Sed addit is ipse auctor: Antiquitus cadauera concremata & ab Christianis eundem seruatum morem aliquamdiu fuisse; tum urnas in collibus compositas caementoque esse septas, quae sepulcra *Caperneu* vocentur. Adiiicit, „apertas quasdam sepulturas & non modo ossa cineremque, sed cetera quoque virorum mulierumque instrumenta in iis resecta fuisse. Ab hisdem *τυμβούχοις* multae antiquitatis reliquiae corruptae & effusae sunt. Ob eamque causam Jo. Ridelius suspicatur, nullos numos isthic locorum inueniri & urnas plerumque turbatas esse, tamquam aliquis terram iam olim sit perscrutatus. Positum autem monumenti eundem Ridelius annotauit in silua parochiae suae Cofarcensi, cum A. cl^o l^o ccxv primum per cuniculos, terra autem subsidente paulatim ad ruinam, a cacumine perscrutaretur fodiendo. Situm eius montis vides hic lector, vt antea fuit. Arbores in eo procerae magnitudinis fruticesque complures erant, vna & viginti orgyia ambitum, & altitudinem vnus & semis viri habebat. Aditum ostendebant duo lapides e terra prominentes aduersus meridiem, quod in aliis quoque tumbis acer & mirae accuratio- nis vir notauit. Perfosso monte lapideum monumentum visum est. Idem lapides aditum vtrisque firmabant, ceteri latera. Sed & supra latera positi erant lapides alii, similiter aptati & laeuigati, quamquam rudi opere. Altitudo monumenti semiuirum, latitudo tres ac quatuor spitamas aequabat. Nouem urnas ac paullo amplius habebat vsque ad tertium ab aquilone latus aequae ac cetera constructum lapide. Harena monumentum tegebat, quam hic aggestam vides. Ridelius etiam alium montem multo maiorem perue-


TAB. III.

Fig. 1. 2.


TAB. IV.

Fig. 1. 2. 3. 4.
5. 6. 7. 8.


TAB. V. VI.




TAB. IV. p. 38



TAB.V. p.38



TAB.VI.



peruestigauit, qui autem nihil ab illo differebat, nisi magnitudine. De tali monumento Joachimus Pastorius in Syluis suis apposite cecinit, cum Gedani in Argentario monte inter operas castrenses A. clō loc LVI. vrnae reperirentur:

*Qua iuga, nubifero præcelsa cacumine, nuper
Grande supercilium deposuere suum,
Mons alios inter leni se vertice tollit,
Nomen ab argento cui vaga fama dedit.
Hic dum fossor opus peragit glebasque reuellit,
Cernitur occulto crypta latere solo.
Area parua iacet validis circumdata saxis,
Quam super incumbens condit vtrinque lapis.
Cum manus impositum pendus sociata remouit,
Vrnarum en oculos funebris ordo subit.
Argilla leue constat opus: tamen integer ollis
Est vigor, aut parua labe tulere diem.
Plura licet retro complerint secula cursum,
Cum vetus his posuit sedibus ista manus.
Scilicet antiquo cum flamma cadauera more
Visit & haec ritu barbara terra fuit.
Eripit illa suis tua posthuma cura tenebris
Consul & aprica luce nitere iubet.
Vidimus & cineres, immixtaque vidimus ossa,
Et defixa suis succina frustra locis.
Nomina quae fuerint vstis, nescimus; & olim
Si quae fama fuit, tota sepulta iacet.
I nunc laurigeras, gens barbara temne Camoenas,
Et nullum calamis robur inesse puta.
His sine vel regum moritur cum nomine virtus,
His ducibus nescit vel cinis ipse mori.*

Mirum autem non est, vsque ad Michaellem Cochmeisterum superfuisse sepeliendi hunc modum, cum Mariani lubidinem tantum spectantes suam, ignari humanarum diuinarumque rerum, praeterea nihil aliud quam milites, barbarorum salutem religionemque negligerent. Alberto adhuc principe passim in agro conuentus profanae ceremoniae habebantur, quorum vni Simon Gruna magno cum discrimine vitae suae interfuit. Inter Francos & Saxonas similiter nostra sepeliendi ratio vna cum ceteris Christia-

nae

nae pietatis caeremoniis instituta fuerat, multo ante, quam Carolus M. in capitulari Saxonum apud Furstembergium Episcopum & Baluzium * edito, rursus necesse duceret exustionem interdicere. *Si quis corpus defuncti hominis secundum ritum paganorum, flamma consumi fecerit & ossa eius ad cinerem redegerit, capite punietur.* Imo aetate Reginonis Prumiensis vetus superstitione nondum extirpata fuit, qui necesse duxit ex Burchardo repetere decreta aduersus auguria, fortes & vota, quae ad arborem, ad lapidem, ad quamlibet rem fierent, & aduersus alias praestigias. Cum Renaldus Lubena vir Consularis Palaeopoleos Regionis montanae A. clo lxxxiii. Decembri mense in Curoniam venisset ad pagum, qui *Curonum rex* cognominatur, eorum hominum superstitionem cumulate perspexit. „Prodidit autem memoriae in vita sua MS. festo natalium Christi in „sacrum lucum profectos Curones, venationem toto anno ex religione intermissam (nam ne caedere quidem arbutum isthic licet) „instituisse ac feras affasse: tum vero circum mensam oblongam „cereas complures orae applicuisse sine candelabro, & stantes ambulantesque comedisse. Cum etiam ludum ebrietas requireret, „dolum cereuisiae allatum fuisse, quod cum inane esset, sonum percipientibus edebat, illis interim circum mensam saltationes instituentibus. Paulo ante diluculum, quod cibi comesum non fuerat, canibus obiectum fuisse. Priuilegia illis eximia esse, habitare „in amplissima area omnes, in qua separatam domum habeat pergrinorum hospitium, suas quaeque familiae domos: coelibes in „vna domo colere, non nisi inter se connubia miscere, ex ordine, „singulis septem diebus vnum omnium rerum procurationem suscipere, caeremonias profanas aequae ac Christianas perdurare. Hoc eorum priuilegium accepi, Rhanaeum penes se habere lingua veteri Curonica, quae a Prussica paullum diuersa est. Quid dicam? nostra memoria multae profanarum caeremoniarum reliquiae in agro, quem veteres Prussi ad orientem huius vrbs & aquilonem tenent, supersunt: multo plures in Curonia.

Ex eadem superstitione credo coronas aeneas & argenteas vna fuisse tumulatas. Dubitatum inter nos fuit, quod genus ornamentum esset, quod inuenimus multiplici contortum gyro ac vnde allatum. Helvingus in Lithographia amplius descripsit. Enimvero, contemplanti mihi antiquitates, quae Medenae sunt in tem-

* t. 2 52.

plo,

plo, ad sinistram maioris arae alia ara occurrit, in cuius valuis cum alia erant picta, tum in sinistra & exteriori ala is est pictus cum coniuge & filia, qui aram extruendam curavit. Ex insignibus adparet, familia Albarum oriundum fuisse. Filia coronam eiusmodi in capite gerens ante aram genu flexo orat. Jam antiquum adeo altare illud non est. Nam in ianua templi eius deprehendi A. clj cccclxxviii. eam esse exstructam, nec est verosimile templum antiquius esse ianua. Sunt & alibi picturae veteres, in quibus ornatum illum capitis fuisse videmus. Ponderus capiti nostrarum mulierum nimis graue, sed, vt tunc erant mores, minime molestum. Credam coronas eiusmodi originem duxisse ab Romanorum galericulis, quales in Domitiae, Plotinae, Faustinae maioris, Plautillae aliarumque numismatis cernuntur. Ex Francia coronas has sepulchrales aduectas esse, verosimile est. Aufegius libro sexto capitularium legem adfert: * *Vt armillae & brumiae non dentur negotiatoribus.* Eius interdicti causam nec Baluzium nec alium aperire nobis memini. Nisi forte eo id prohibitum fuit, quod superstitiose talibus armillis vterentur. Arngrimus Jonas in Erymogaea** ex antiquis Islandiae monumentis docet, annulos argenteos vel orichalceos, vnciarum viginti pondere in aris deorum asseruatos fuisse, quos cruore hostiarum conpersos in brachiis supremi iudices gesserint, testes autem omnesque lite implicitos iusiurandum annulis contactis praestitisse.

Redeo ad numos. Helvingus ad me scripsit, numquam se in vrna, sed in collibus, passim in agro & ad viam defossos numos reperisse. Similiter Cambdenus in descriptione Britanniae sub collibus sepulchralibus, non in vrnis inueniri numos scribit. Itaque fortassis cum exurerentur cadauera, simul in ignem coniecta fuerunt instrumenta, numi, aliaeque res. Sic vtique Romani fecerunt. Papinius Statius:

*quid ego exequias & prodiga flammis
Dona loquar, moestoque ardentia funera luxu?*

Quae ex incendio supererant, in vrnas colligebantur, aut terra obruebantur. Id, vt magis mihi persuadeam, efficiunt numi ab

* t. l. f. 96, ed. Baluzii. ** p. 62. 76.

vna parte prae se ferentes liquefacti aeris vestigia. Ea pars, quae a flammis iacuit auersa, illaesa fuit, altera paullo conflata in aliquibus numis visitur. Nolim enim credere, aerugine ita adfectos esse, cum alii parte saltem una integerrimi sunt. Nec alienus sum ab Ottonis Sperlingii sententia, qui ad numum Furiae Sabinæ Tranquillinae sic fatur: *meliores hac sua pulchritudine natiua sunt illi, quos in monumentis & fornicibus seruari contigit; illis enim liberior aer & clausus tamen, hoc, quicquid est, quod in illis admiramur formae & nitore addit, praesertim si anniuersaria hiberna vni acceperunt urnae & cineres, cum quibus repositi sunt. Omnium optime vero, qui extra cineres in vase peculiari aerem hauserunt & tincturam suam.* Inde vero tam pauci argentei superant, quos flamma citius haufit, quam aeneos. Est tamen penes me plumbeus numus, quem Joannes Ridelius in agro dioecesis suae inuenit. Vtraque facies confusa, at tamen, vt cognoscas impressum aliquid fuisse. Quid fuerit, non aequè coniiicio. Romani vtique plumbo vsi sunt, sed tenuis est lamina, & sequioris aetatis etiam alia signa habet. Praeterea aenei quidam, etiam in urnis ab Hartmanno inuenti, nihil ex incendio ostendunt. Itaque vero est simile, post incendium aliquos coniectos in cinerem fuisse numos. Paene idem Romanos fuisse, ex Albii Tibulli hoc versu coniiicio:

Abstineas mors atra precor: non hic mihi mater,

Quae legat in moestos ossa perusta sinus:

Non soror, Assyrios funeri quae dedat odores,

Et fleat effusis ante sepulcra comis.

Quod eos attinet numos, qui extra urnas reperiuntur, illi aut in busto, sicuti ante dicebam, neglecti & relictii iacuere, aut abolitae vestustate contractisque urnis effusi sunt, quae coniectura fuit Friderici Vilelmi M. Principis quondam, immo parentis nostri, quem optimi etiam imperantes apud posteros desiderabilem, ob innumeras virtutes & incredibilem litterarum amorem facient. Testem habeo Iac. Tollium in itinerariis epistolis.

Cur autem maiores nostri pecuniam contumularint, difficilius res est quaestionis & originem gentis pandens, quam attingere, non huius operis & instituti est. Exstat de ea re Keyserli erudita

in-

inuestigatio, cui nec suffurari quicquam cupio, nec adlicere valeo, ira omnibus numeris absolutae. Si intelligens & eruditus lector nostram de proiecta in rogos aut effusa ex vrnis pecunia sententiam, non probet, superest, vt existimemus in sacros lucos proiectam fuisse. Tali munere deos propitiabant. Satis luculenter hanc septentrionalium caeremoniarum partem eruditi homines in Germania, Suecia, Anglia enarrarunt. In Curonia ad hunc vsque diem luci aliqui superstitionis illius vestigia retinent, cum arbores onustae omnis generis rebus, antiqua etiam pecunia, sola religione & sacro, si diis placet, horrore, quod consecratum semel est, aduersus rapinas saluum conseruant.

CAPVT OCTAVVM.

Dolendum est, multas antiquitates perire ignorantium culpa. Longe laetior ampliorque seges nobis esset, si saltem hos numeros ad manum haberemus omnes, quos e bustis aut sacris lucis maiores nostri collegerunt. Tanto maiori sint digni honore, qui diligentia sua labantem memoriam huius antiquitatis suffulserunt. Caspar Schuzius scribit, proxime urbem in Saluoso colle * sua memoria reliquias vrnarum & iuxta eas pecuniam auream argenteamque fuisse repertam mirificis litteris; vnum autem numum habuisse reginam corona cinctam, sub qua apparuerit sagitta, hoc titulo inscriptum: LECIPORVS. Ex aliis duobus eadem effigie CRASSIVRA & CESTIANVS inscriptis, vnum in auersa hydriam & loriscam, alterum libitinam & lugentis imaginem viri exhibuisse. Fides eius apud nos integra, sed interpretatio numorum vereor, vt pro illius in his rebus infantia, inanissima sit. Idcirco etiam cum Matthaeus Praetorius a Schroetero Proconsule Gedanensi cognouit, in eius vrbis vicinitate numum esse inuentum cognomini montis Hagelis ** titulo, non reperio, quomodo aut vtriusque fidem damnem, aut credulitatem in explicando numo excusem. Leciporos, Crassiuos & Cestianos ex Boemia aut vicina Germania arcessit Praetorius. Cui sententiae neque accedere cupio, neque detrahere quicquam, nisi inspectis numis, qui hodie nusquam adparent. Is Praetorius in magno Prussicarum rerum theatro, quod nondum est editum, Prussicos numos diligenter commentatus,

* Heydenburg. ** Hagelsberg.

memoriae prodidit, Villequittae in Memelenſi agro pueros A. M. JOC LXXXV. XI. Cal. Octobris in mobili harena inueniſſe numos Hadriani, Antonini Pii, M. Aurelii Philoſophi, Aurelii Veri, Comodi, Maximiani, Sabinae, Fauſtinae Crispinae & ceterorum. Mallem omnes nobis percenſuiſſet ordine, quam moleſtiſſimo illo compendio fuiſſet complexus. Nonaginta enim corrupta in olla fuere. In eadem regione, haud procul ab diuerſorio, cui Saluoſo nomen eſt, commemorat ſingulos inuentos paſſim & Nimmerſat-
tae ad Memelam vnum, inſcriptum IMP. ALEXANDER PIVS AVGVSTVS & in auerſa habentem mulieris effigiem cum face PROVIDENTIA AVGVSTI S. C. inſcriptam. Numus proſecto rarus, nec viſus antiquariis, ſi iſta auerſae effigies fuit. Metuo vt verum prodiderit Praetorius.

Noſtra memoria Andreas Hedio homo magna grauitate, ſingulari eruditione ac ſupellectili omnis generis praecipue admirabili, cum praeter philoſophiam, quam in hac academia profitebatur, quicquid rarae cognitionis & interpretandis Graecis Romanisque antiquitatibus erat, adjungeret, numos quoque in agro noſtro inuentos habuit. Heluingus ipſe teſtatur in Lithographia, argenteum M. Antonini numum vomere erutum, dum ager aratur, dono ſuo eius cimelio acceſſiſſe. Poſt mortem beatiffimi viri multis annis apud viduam iſt theſaurus ſine ordine, ſine luce iacet. Et quis inter tot argenteos, illum vnum ſine errore inueniat. Similem in modum mihi narrauit Godofredus Villamouius Cumenenſis Presbyter venerabili vir aetate, inuentum a ſuis numum M. Antonini maioris moduli inter arandum fuiſſe. Illum ſe aliquamdiu geſſiſſe in maſſupio, donec mundinis quibusdam noſtris, cum peregrino colloquens bibliopola, eius commotus precibus, dono eidem daret. Alio tempore repertum alium dicebat, neſcire autem ſe cuius Imperatoris fuerit, aut quo, incurioſius ſeruatus, peruenerit. Joannes quoque Reyher Conſiliarius Regis, qui legationibus in Moſciam feliciter functus multa ſecum inde transportauit, multa deinde ad inſtruendam rariffimorum librorum bibliothecam conquiſiuit, numum quoque talem ab Heluingo * accepit. Poſt mortem optimi & antiqua virtute religioneque ciuis, Heluingus numum repetiit ſuum, quem nos infra oſtendimus An-

* Lithogr. p. 94.

tonini esse. Georgius Andreas Helvingus autem Presbyter An-
 geropolitanus & Societatis Berolinensis Sodalis, qui magna indu-
 stria res ad antiquitates & naturam soli sui pertinentes iam diu inue-
 stigat, quos inuenerat liberalissime ad me misit, ut exemplo eius
 humanitatis incendere ceteros possem. Renaldus Perbantus Pres-
 byter Leunoburgensis, qui quoad vixit, curam impendit omnem,
 ut quod obuenisset ex Prussicis rebus, ab interitu vindicaret, totam
 numerorum suorum suppellectilem mihi concessit. Joannes Ride-
 lius Presbyter Sorquittensis duos nobiscum communicauit, quo-
 rum mentionem supra inieci. Sine omni controuersia acere in eo
 viro viuumque ingenium & ad multa inuenienda animaduerten-
 daque natum. In perscrutandis vetustis tumulis omnes alios vi-
 cit, in ceteris accuratissimis obseruationibus pares paucos nostrum
 habet. Maior accessio ex Philippi Jacobi Hartmanni numophylac-
 cio filii humanitate mihi obuenit. Dolendum est, complures per-
 missos ceteris inueniri non potuisse. De illis autem in disertatio-
 ne de Othone aeneo nondum edita, sic scribit: Aliorum Impera-
 torum numos in Prussiam inuectos ostendere possum, siue a milite
 siue a mercatore Romano illati fuerint. Aliquot argenteos seruo
 ex patrio agro erutos. Amici dono dederunt. Aereos quoque
 non contemnenda copia repertos in olla Friderico Regi oblatos
 noui. Illius tantum meminero, qui haud procul Lycca a Joachi-
 mo Columbo Rectore scholae prouincialis, nunc Archi-Presby-
 tero exemptus mihi quoque dono missus est. Huius caput nudum ca-
 pillis crispis mento lanugine consperso: pars thoracis in eodem
 est conspicua. Epigraphe: AVRELIVS. CAES. AVG. PII. F. Auer-
 sae: miles galeatus gradiens, hastam obliquam utraque manu ap-
 prehensens. Ex inscriptione supersunt OT. XIII. Genibus ap-
 positum s. c. Ceruicem pone est aliquid oblitteratum incerti signi.
 Numus est maximi moduli, ora non profus plana, neque ro-
 tunda, nisi leuiter. Ambitus a circulari, angulis quibusdam re-
 cedit. Crassities modica, pondus drachmarum sex, scrupulo-
 rum duo. Addit deinde in notis: *Si fata velint, ut antiquitates
 Prussiae multa cura a me consignatae diuulgentur, in his plurima numo-
 rum Romanorum in Prussia repertorum documenta occurrent. Non
 procul Memela ad pagum Proekoltz ex colliculo quodam arenam effodiens
 Lithuanus in ollam incidit, pluribus aereis numis refertam, Antoninia-*
 nis,

*nis, quot mihi videre contigit. Sane Antoninorum aevo cufis, cum Fau-
stinae numi inter eos occurrant. Horum numorum non pauci cum in
praedam colonis cesserant, illique cingulis suis, more gentis eosdem inue-
xerant, amicorum ope alios atque alios redemi. Maximam partem au-
tem exesi sunt & oblitterati. Antiquitatibus Prussiae recensionem eorum
seruo. Qui eius viri sedulitatem norunt, non dubitant, susceptum
istum ab eo laborem fuisse, sed inter male habitas disiectasque
schedas eius, nihil inueniri posse quod alicuius pretii esset, filii iu-
dicarunt.*

Dauidem Blaesingum Mathematicum industrium virtutum ae-
que ingentium ac magnae eruditionis, nostri, quoad vixit, aman-
tissimum virum saepe audiui commemorantem quosdam numos
in agris repertos se habere in praeclaro cimelio, quod Academiae
testamento legauit. Sed, vt erat afflicta valetudine, numquam
conspiciendi eius commoditas fuit. Cum ordinandi cimelii sui
operam in me contulisset, magno bonorum omnium dolore mor-
tuus est. Numos igitur illos sine teste, nemo dignoscat. Atta-
men aliquos inscriptos eo titulo, *in agro repertos fuisse*, Jo. Samuel
Strimesius V. C. vidit, cum Academiae nomine cimelium inspi-
ceret.

CAPUT NONVM.

PRaeter eos numos, quos supra posui, reliquos ab amicis mihi aut
dono ostensos aut datos explicabo. Difficilis in plerisque labor,
cum seu aeruginem & situm, seu erosionem expugno, ex vna littera
totius numi illustratio petenda fuit. Inspice mecum TAB. I Fig. 5.
Ante Domitianum nullius numum Imperatoris inueniri & ostendi
memini praeter vnum triumphalem & Neronianum. Hic vtram-
que faciem admodum luculenter visendam praebat, sed tanto
erant obscuriores inscriptiones. Habet eundem Occo, sed hoc
uno diuersum a meo, quod non AVG. sed AVG. F. Occoni inscribitur.
Mih i autem in hac inscriptionis fuligine, videor tantum of-
fendere spatium explendae litterae. Est is igitur primo Domitiani
consulatu signatus, quem iniit patri tertium Consuli suffectus Cal.
Martii & cum Cn. Pedio Casto gessit, vt Norisius in consulari epi-
stola euicit. Victoria Augusti Vespasianum signat, qui siue victo
Vitellio gloriatur, siue adepto imperio. Hoc mihi maxime vide-
tur.

Fig. 5.
TAB. I.

tur. Signum enim imperii erat victoriae simulacrum. Aelius Spartianus in Septimio Seuero tres victoriolas inter reliquam pompam Circensem Septiminii, Getae & Bassiani titulis inscriptas & positas memorat. Augustus in Senatu victoriae imaginem Tarentum quondam aduectam collocauit, Suetonio, Dioni, Herodiano & Aelio Lampridio diuersissimis temporibus memoratam. Etiam sub Christianis Imperatoribus permansit, Constante, Constantio & Gratiano tantum aram euertentibus. Id adparet ex Symmachi relatione, qui tantum aram reponendam petiit. Ambrosius in primo libello ad Valentinianum: *si hodie gentilis aliquis imperator aram statueret simulacris & eo conuenire cogeret Christianos.* Et postea: *Ara Christi dona tua respuit, quoniam aram simulacris fecisti.* Aedes victoriae eodem tempore non modo simulacrum sed & aram religionemque habebat. Prudentius in Symmachum:

Marmora labenti respergine tincta lauare

O proceres: liceat statuas consistere puras

Artificum magnorum opera haec pulcherrima nostrae

Ornamenta cluant patriae, nec decolor vsus

In vitium versae monumenta coinquinat artis.

Quid vetat credere, Caesares victoriam in priuata sacraria admisisse. Seianus in omnibus Principum aemulus, teste Dione Cassio simulacrum fortunae, quod Tulli Regis fuerat, in sacrario suo colebat: Fortunam in cubiculis Principum positam Julius Capitolinus auctor est. Quidni & victoriam.

Alter numus in TAB. I. Fig. 6. faciem Domitiani ipsa oris uerrecundia, proiecto mento, naribus acutis prodit, nec admodum obesam, ut superiori in numo, sed qualis fuit annis prouectioribus. Signum in auersa prouidentiae esse suspicor. Manus dextera, sic, ut est protensa, clauum tenet, intra quem clauum & tunicam S. exstat. Foramen habet is numus siue a maioribus nostris, siue a Romanis gestatus fuerit.

TAB. I.
Fig. 6.

Tertius in Fig. 7. ex inscriptione GERM. cognoscitur Domitiani esse. Fortuna Augusti aduersae incisa est. Coronam radiatam habet.

An-

TAB. I.
Fig. 8.


Antoninorum maxima copia passim apud nos & in Polonia est. Primus numus difficillime agnoscitur, quod auersa eius pars tota delata & erosa est aerugine. Ex annis tribunitiæ potestatis & consulatus deprehendo M. Aurelii esse. In nullo imperatore consulatus secundus cum octauo aut nono tribunitiæ potestatis anno conuenit, nisi in hoc Aurelio. Tres enim gessit consulatus, tanta eius viri moderatio fuit, cum ceteri principes expleri titulis non possent. In numi auersa non satis adparet, decimus, nonus, an octauus designetur tribunatus. Octauum videor aliquo signo dignoscere. Eo anno frequens in Aurelii numis Fortuna est.

TAB. I.
Fig. 9.

Numus alter male habitus & parte sua mutilatus ab incifore, ut puto, non ab aerugine. Cetera satis seruatus. Faciem Aurelii vides. Ab auersa fedet M. Aurelius cum L. Vero, iuxta eos liberalitas stat & Romanus ascendit. Numum hunc Valens vidit & rariorem iudicauit, inscriptum LIB. AVGVSTORVM TR. P. XV. COS. III. Iac. Biaeus quoque habet, sed in eo diuersum a Valentis & nostro, quod nullae scalae sunt, nec Romani effigies ascendentis.

Tab. VII,
Fig. 1.

Tertius optime conseruatus. IMP. CAES. M. AVREL. ANTONINVS AVG. P. M. in auersa Salutis signum, cuius inscriptio SALVS AVGVSTOR. TR. P. XVII. S. C. Serpens circum aram Salutem significat, utpote quo Aesculapii numen aut Apollinis potius (cuius ille filius erat) cognoscitur. Scholiasta Aristophanis in Pluto omnibus heroibus, maxime tamen Aesculapio adiunctos in simulacris serpentes scribit, ob eam causam, quod sicuti serpens cutem exiit, ita medicina morbos expellit. Quod & Phornuto in libro de natura deorum videtur, qui simul addit, attentionem & accuratorem significare. Hygiea & Aesclepius *ἱγίαι* apud Pausaniam saepe. In puluinaribus Aesculapii serpentes erant. Testis Pausanias in Corinthiacis de templo in agro Titanico, neminem ingredi ausum ob metum draconum. *Καθάρτες δὲ σφισιν πρὸ τῆς εἰσοδῆς τροφῆν, καὶ ἐτι πολυπραγμονέουσι.* Prudentius: *Placet sacratus aspis Aesculapii.* Simulacrum an viuus serpens? ante aram inuenitur in numo Nicomediensium Gordiano principe signato, quem Harduinus ex Libanio accuratissime explicauit. Tristanus, Patinus & Beger eundem numum vulgarunt. Ex Pausania colligo ante aram Aesculapii, ex albo lapide simulacrum, anguis fuisse. Quae



Quae ad aram stat Salutaris sacerdos baculum tenuem & plurimis nodis distinctum sinistra tenet. Est id *Αουδαπρις Βακίλον* a Phornuto & aliis explicatum. Sacerdos puella. Non enim solis Vestalibus nubere nefas. Tertullianus ad Vxorem: *gentes satanae suo & virginitatis & viduitatis sacerdotio perferunt continentiam.* Saluti libat ob salutem Augustorum. Vota haec sunt pii Senatus. Nihil enim hoc anno accidit, vt valetudinem M. Aurelii & L. Veri afflictam suspicemur.

Duos, qui sequuntur, Antoninos ad Perbantum attulere eius TAB. VII paroeciae homines in illo agro inuentos. Primus nihil habet praeter Fig. 2. vs. AVG. ARM. quod tamen praeter vultum satis est, vt M. Aurelium agnoscamus. Auerfa peius est habita ab aerugine. Victoria tamen cognoscitur cum scuto, cui inscriptum VIC. PAR. In margine XX. IMP. vigesimum annum tribunitiae potestatis vides. Victoria videtur dextera cornu copiae tenere. Numus Occoni visus ita inscribitur TR. P. XX. IMP. III. COS. III. Adversa M. ANTONINVS AVG. ARM. PARTH. MAX.

Alter legi disertius poterat, M. ANTONINVS AVG. Facies artificii venustissimi. In auersa, mulier sedens cum cornu copiae & bilance. Fig. 4. IMP. V. C. S. C. Cetera legi non possunt. Occo inscriptionem talem habet. M. ANTONINVS. AVG. ARM. PARTH. MAX. ab auersa P. M. TR. P. XXIII. IMP. V. COS. III. Aequitatem Antonini significat, quae sane, si qua est in Principe, magnam abundantiam rei publicae adfert.

Sequuntur duae Faustinae. Primus maioris Faustinae forcrus Aurelii Antonini. Numus ab vtraque facie ita deformatus, vt vix faciem & paucas litteras, cetera ne vix quidem dignoscas. Facies venustior quam vt a nobis possit exprimi. Videtur esse ex eorum genere numorum, qui mortua Faustina conflati ab auersa Dianam *Διᾶς* habent. Diuae tamen titulus non adparet. Fig. 5.

Alter a eius filia M. Aurelii Antonini uxor est. Crinem haec prae ceteris accurate coluit. Tertullianus de velandis virginibus de tali ornatu mihi intelligitur: *Quid quod etiam habitu mutationem aetatis confitentur, simulque se mulieres intellexerunt, de virginibus educantur, a capite quidem ipso deponentes, quod fuerunt: vertunt* Fig. 7.

G

ca-

capillum & acu lasciuore comam sibi inserunt crinibus a fronte sibi diuisis apertam professae mulieritatem: Ab auersa Faustina stat vtrisque vlnis infantes & ad pedem habens. Cuiusmodi numum Biaeus exhibet inscriptum FECVNDITAS AVGVSTAE. Eclypon eius ad me Samuel Rhanaeus misit. Numus A. cl. lccLXXXV. admodum inuentus & a Burgero Medicinae Doctore Memela ad Rhanaeum fuerat missus. Is Hartmanno ostendit, qui eodem fuerat vsurus in antiquitatibus Prusficis.

TAB. VII.
Fig. 6.

Subiungimus in eadem Tabula Figuram 6.7. & 8. Primum ex his numum suspicio mea ad Commodum refert, tamen in eo nihil praeter auersae tenuem faciem specto. Talem enim etiam Biaeus in Commodi numis exhibet. In alius Imperatoris moneta non item vidi. In altero confusa sunt vultus lineamenta, ita vero vt Jouem lapidem iurare velim Commodum esse. Crispina eius vxor a Perbanto A. cl. lcc LXXX. in Sembiae aliquo nemore forte inuenta. Venus globum tenens ipsa Crispina est. Id radii, quales Augustorum coronae erant, id globus potentiae orbis terrarum index, notant. Nuptias etiam indicat. Nam breui post ab Commodio abiecta est. Biaeus numum maioris moduli inspexit, Valens hunc ipsum.

Fig. 7.

Fig. 8.

Fig. 9.

Succedat in TAB. VII. Figura 9. quae numum Gordiani exhibet, cum inscriptione IMP. GORDIANVS. AVG. Reliqua legi non possunt & facies admodum deformata est, vt vix Gordianum tertium noscas. Numum eundem Biaeus & Occo habent, sed ita inscriptum: IMP. GORDIANVS PIVS FEL. AVG. ab auersa MARTEM PROPVGNATOREM. Occo ad septimum annum tribunitiae potestatis recenset. Enimvero annos tantum sex regnavit, Julio Capitolino, epitoma S. Aurelii Victoris, Eusebio, Excerptis Chronologicis barbari hominis a Scaligero euulgatis, Casiodoro testantibus. S. Aurelius Victor: *insidus perit sexennio imperio.* Oportet hos numos cum Marte gradiuo signatos esse ante Misitheum extinctum Arriano & Papo Coss. Nam vno anno antea C. Vettio Attico & C. Asinio Praetextato Coss. Persas bello prosperrimo aggressus fuerat. Gesserat quidem sub auspiciis imperii aduersus Sabinianum bellum; sed id tam nihili habitum est, vt ne Ianus quidem aperiretur.





In

In TAB. VIII. Fig. 1. exhibetur ab una parte IMP. PHILIPPVS. AVG. TAB. VIII.
 ab altera PAX AETERNA. Hunc numum Heluvingus in Lithographia Fig. 1.
 Angerburgica edidit, sed multa per errorem, secus ac inspecto nu-
 mo deprehendi. Chalcographus etiam male habuit eum. Illum
 errorem non magni momenti facile eruditissimo viro in alio studio
 versanti condonamus. Numus filii non patris est. Id ex vultu
 constat, cui mira gratia inest. Post reditum percusus est, cuius
 reditus memoriam alius numus conseruat a Monerschio & Philip-
 po a Turre explicatus. In eum diem conuenit id, quod Velleius Pa-
 terculus dicit in alia re: *laetitiam illius diei concursumque ciuitatis &
 vota paene inserentium caelo manus, spemque conceptae perpetuae secu-
 ritatis capientes.* Coniectura autem Heluingi non aequè negligenda
 est existimantis, numum a Romanis sub Decii praefectura in Pan-
 noniam missis cum Scythis conterminis conquiendo commutanda
 ad vsum rei familiaris necessaria, denique ad Sarmatas &
 Pruflos venisse.

In Figura 2. repraesentatur GALLIENVS ab auersa VBERITAS AVG. Fig. 2.
 vt apud Oconem. Figura vbertatis crumena & cornu copiae.
 Neminem fugit Gallieni in profundendo studium, vt veluti mira-
 ti, Romanum orbem sufficere eius sumptibus ferendis vbertatem
 numo signarent.

Numus tertius & quartus Aureliani sunt diuersi & modulo & Fig. 3. 4.
 figuris. IMP. AVRELIANVS. AVG. legi potest. In auersa CONCORDIA
 in vna, in altera ne tantum quidem. Figurae duae, Imperatoris &
 Romae quae globum & hastam tenet. Aliquot numos concor-
 diae inscriptos legas apud Oconem, sed siue AVG. siue MILITVM siue
 omnino nihil desit, non possum dicere. Begerus quoque nescit,
 quo referre debeat. An quod Aureliano imperatore orbis ter-
 rarum, quo vel Aristide teste Romanum imperium censebatur,
 cum aeterna Vrbe in concordiam conueniret? Id Solis caput signi-
 ficat: Aureliani alioqui ex obseruatione religioneque matris,
 deus. In tertio numo anni voti sunt Aureliano, quorum vix ter-
 tiam partem attigit. IMP. AVRELIANVS --- AVG. VOTA XXII.

In Figura 6. repraesentatur Seuerina Aureliani coniux PRO- Fig. 6.
 VIDENTIA DEORVM IXXI. forte, vt in Aureliani numo TXXI Occo-
 ha-




habet. Si hic Severinae numus idem est cum eo, quem Occo exhibet inscriptum **HXIT**, in eo certe fallitur, quod nudam figuram radiatam foeminam putat. Mihi signum Solis esse videtur.

TAB. VII.


Fig. 7. 8.

Fig. 9. 10.

Qui sequuntur in Fig. 7. & 8. Claudium Gothicum utrumque esse puto. In aversa lege: **CONSECRATIO**. Ex Constantiana successione tantum duos huc pono, cum mihi eadem magnitudine plures sint. Constantius cum pontificali habitu a Juliano videtur cufus. Igitur & satis diserte **DVO** non **DN** legere mihi videor. Aurelius Victor: gente Sarmatarum magno decore, confidens apud eos regem dedit. Alterum Valentem esse, viderint alii an Valentinianum malint alterutrum. In rudi aere difficilius est vultuum diuersitatem dignoscere. Aversa $\pi\rho\rho\sigma\mu\eta$ in omnium trium moneta exstat apud Carolum de Fraxinis in historia Byzantina illustrata.



THEOPHILI SIGEFRIDI BAYERI
EPISTOLA
DE
THEOPHRASTI DELII
PRAESIDIS MONUMENTO
AD
VIRUM CLARISSIMUM.



VIR CLARISSIME.


CUm inter chartas meas his diebus quaedam in Delium monumentum temere & aliud agenti animaduersa reperirem, cepi consilium ea ad te perscribendi, vt, quantum tibi mea sententia ab doctissimorum virorum opinionibus haud parum abhorrens, probetur, intelligerem. Sciebam autem, te, pro tua admirabili eruditione, de his rebus omnium verissime iudicaturum, ac pro studio amoreque in me tuo, non defugiturum hanc de communibus litteris cognoscendi molestiam.

TAB. IX.

Est autem in Sylloge antiquorum numismatum ante tredecim hos annos Londini edita, titulus statuae ab Deliis Theophrasto Acharnensi collocatae, quem ita vetus marmor exhibet, vt in TAB. XI. depinxi. Viderunt eum titulum Patricius Junius & Humphredus Pridausius, ex quibus hic parum integre in Oxoniensibus monumentis descripsit; is autem A. clō lōc xxxii notis in Clementis ad Corinthios epistolam priorem, tum primum ex Delo aduectum & inter marmora regia in hortis Jacobaeis abs se conspectum inferuit. Credo deinde in eam partem horti repositum fuisse, quae vicinior palatio Albae aulae erat, vbi videlicet Pridausius scribit existisse. Quomodo autem ad auctorem eius sylloges peruenerit, haud aequè adfirmare possum, nec scirem prorsus, quis auctor sit, nisi Jo. Burchardus Meckenius & postea Maturinus Veyssiere Lacrofus, quos ego honoris fideique causa faciendae nomino, me docuissent, Carolum Fountainum esse. Coniectura ducor, vt existimem, cum palatium Albae aulae A. clō lōc xcvi. incendio conflagraret, partem horti contiguam vastatam hocque marmor sublatum fuisse. [Integriori marmore Junium vsus, quam Pridausium aut Fountainum, conferentes vtrumque exemplar confitebuntur.

Exigua

Marmor Deliacum.



Exigua tamen pars orae adfecta fuit. Nullum est dubium, quin legi in eum modum oporteat.

ΘΕΟΦΡΑΣΤΟΝ. ΗΡΑΚΛΕΙΤΟΥ. ΑΧΑΡΝΕΑ
ΕΠΙΜΕΛΗΤΗΝ. ΔΗΛΟΥ. ΓΕΝΟΜΕΝΟΝ. ΑΘΗΝΑΙΩΝ
ΚΑΙ. ΡΩΜΑΙΩΝ. ΚΑΙ. ΤΩΝ. ΑΛΛΩΝ. ΞΕΝΩΝ
ΟΙ. ΚΑΤΟΙΚΟΥΝΤΕΣ. ΚΑΙ. ΠΑΡΕΠΙΔΗΜΟΥΝΤΕΣ. ΕΝΔΗΛΩ
ΑΡΕΤΗΣ. ΕΝΕΚΕΝ. ΚΑΙ. ΚΑΛΟΚΑΓΑΘΙΑΣ. ΚΑΙ. ΤΗΣ. ΠΡΟΣ
ΘΕΟΥΣ. ΕΥΣΕΒΕΙΑΣ. ΑΝΕΘΗΚΑΝ. ΑΠΟΛΛΩΝΙ

Post Caras & Jonas Athenienses Delum tenuerunt. Si Julio Africano, quem Eusebius sequitur, Athenaeo, Cedreno & Synkello credimus, iam ante Minoem Asterii F. in ea insula Eryfichthon Cecropis F. imperium exercuit templumque Apollinis condidit. Plus auctoritatis apud me Herodotus & Thucydides habent, a quibus proditum est, Minoem Lycasti F. istius Minois nepotem Ionas coloniam in Delum primum duxisse, ac Polycratem Samium quoque ante Athenienses eam insulam cum ceteris Cycladibus perdomuisse. Quae circiter tempora Homerum & Hesiodum in Delo contendisse versibus ex Eustathio intelligo. Inde utique Atheniensium Delus fuit & ab Pisistrato lustrata est. Bello utroque Persico barbari religionem dei reuerentes cladem & omnem belli noxam abstinuere. Idcirco postea ab omni Graecia in eam insulam pecunia belli gerundi causa, veluti in commune aerarium, collata fuit. Quam cum Athenienses aliorum sacrilegia metuentes, in Atticam transuexissent, bellum Peloponesiacum coortum est. Athenis ab Lyfandro occupatis omne simul maris imperium euersum fuit. Recuperatum per Cononem & Thrasylulum videbatur, cum Athenienses Spartanis pulsus mare obtinerent vrbesque & insulas suae ditionis in fidem reciperent. Demosthenes de Halonesso, ciues suos tum maxime de imperio maris gloriatos prodit: Delum utique in potestate sua constanter retinuerunt, tametsi Ptolemaei ceteras Cycladas haberent. At Mithridates Delum euertit, Atheniensibus pacato per Romanos oriente restituendam.

Quo igitur tempore statua Theophrasti collocata fuerit, quaeramus. Vt mea opinio fert, nec post Mithridaticum bellum, nec ante Corinthum deletam. Id video argumentis est firmandum, quod magni nominis viri aliter sensere, qui plerasque inscriptiones
Delia-

Deliacas post Adrianum Caesarem collocatas fuisse scripserunt. Enimvero post Hadrianum hanc inscriptionem non esse factam, conicias ex eo primum, quod Athenienses se Romanis praetulerunt; quod, tam proiecti ad omne assentationum genus tantamque ambitionem *ἐν πρατείσι* ponentes, iis quidem temporibus facturi minime videntur fuisse. Aristides in Panathenaica scribit sub Antoninis *καὶ προσόδων ἕνεκα καὶ προεδρίας*, Athenienses antiquum ius tenuisse; ac verum isthuc, si Graeci inter se compararentur; at idem Aristides in Romam, cum Athenas Spartamque conerret cum aeterna vrbe, veluti maiestate eius perturbatus *ἀπίη*, inquit, *τὸ ἑλάσθημι τῷ παραδείγματι*. Tantum inter eas ac Romam interesse iudicabat. Ita is Athenienses nominat ante Romanos in quodam loco; sed in oratione tantam accuratorem nemo requirat, quam in inscriptionibus publicis, ut idem Aristides Africam ante Europam quoque nominavit, sine controuersia hanc illi dignitate praelaturus. Igitur tum ausi sunt Athenienses Romanis se praeferre, cum maior species libertatis superesset. Huc accedit, quod ante Hadrianum ea figura *τῶν σίγμα*, quae in marmore est, scribi fere desijt. Annotatum est ab Montefalcone in Palaeographia Graeca, sub Caesaribus coeptam eam litteram sic immutari, ut non Σ sed C scriberetur, nec quinto seculo in codicibus, numis, marmoribus vllum veteris formae vestigium superfuisse. Harduinus passim in operibus, fere incunabula eius mutationis aperuit. In Antiochenis quodam sub Augusto signato & in alio Neroniano iam praelusum nouo mori memorat. Augusti, ut ego opinor, aeuo, Cleomedes quoque in cyclicis lunam, cum figuram hanc *τῷ σίγμα* nouam incuruis cornibus exprimit, *σίγμα ἰδέα τῷ σχήματι* vocauit. Sed haec nihili sunt prae his, quae nunc dicam. Strabonem auctorem habeo, Mithridatis duces, postquam Delum occupare, omnia in ea a fundamentis disiecisse. Ex Appiano Alexandrino & Athenaeo non minus tenemus proditum memoriae, quam crudeliter ab iis faeuatum in Delo fuerit. Sic, ut erat miserandum in modum lacerata, Romanis armis recepta Delus, Atheniensibusque ad Strabonis vsque aetatem inops & squalida relicta fuit. Nam quod in itineribus Sponii inscriptionem obseruamus ab gymnasii Delii praefecto Mithridati Eupatori aequae ac ab alio Euergetae eius patri positam, id nihilo crudelitatem regis minuit. Cicero pro lege Manilia de temporibus ante Mithridaticum bellum loquens,

quens, tum insulam Delum omnes vndique cum mercibus atque oneribus commeantes accepisse, refertamque diuitiis fuisse refert. Totidem verbis fere Pausanias de Delo commemorauit, & frequentem mercaturis ante bellum fuisse & postea neglectam. Sic Plinius maior templo Apollinis & mercatu celebratam scribit, vt de superiori tempore intelligas, quippe alioqui scripturus, celebrari, & celebrem esse. Accedit huc Tertullianus, qui in apologetico Septimii Seueri extremis annis scripto testatur, Delum cum multis millibus pessum abiisse. In libro autem de Pallio *nullamiam Delon inter insulas esse*, scribit, quem locum etiam Spanhemius non ignorauit. Is cum eodem modo de Co insula dixisset, accedit Pausanias, qui restitutam ab Antonino Pio memorat diligenter insulas omnes percensens quae restauratae essent sine Deli mentione. Seruius ad tertiam Aeneidem, Tuthrode nescio quo auctore contendit, Delon neque ante incensum spoliatumque Delphis templum, neque postea incommodo vexatam simili fuisse. Sed eum nihil moror, cum Tuthrode ante Mithridatica fortassis tempora auctorem, aut magnopere ignarum veteris historiae perperam adhibuit. Nec post tantam Deli vastitatem facilis restauratio mercaturae fuit. Nam ipsi Athenienses Sullae seueritate afflicti adeo fuerant, vt vix recipere vires possent. Nec insulae quidem solum retinuisset, ni totum ruinis fuisset oppletum. Scio Scaligerum ad Eusebium & Manilium contendere, ab eo tempore ne Athenas quidem vquam recepisse vires. Enimuero Synesii testimonio haud oportune vsus est, qui multo tempore post Athenis fuit & id ipsum quod Scaliger cupit, ne adfirmat quidem. Econtrario Aristides in Panathenaica, Libanius de vita sua & Gregorius Nazianzenus in funere Basilii florentes & opibus & litteris Athenas prodidere. Sed haec serius in Delo, quam in metropoli reparabantur: & si Hadriani munificentia Athenae subleuatae sunt, tanto plus Septimii Seueri crudelitate (vt hoc Xiphilino & Spartiano credamus) afflictae fuerunt. Praesertim cum constet in Naxum & Co post bellum Mithridaticum, omnem mercaturam emigrasse, a quo tempore Coa vestis & purpura celebrata. Aristides ex Naxo & Cydno Athenas suo tempore merces fuisse deuectas testatur oratione in Romam, non taciturus Delum, quam in Panathenaica leuiter fatis, vt diis sacram, vt ad Athenienses pertinentem, memorat, si qua illis temporibus mercatura Delia fuisse. Eius autem aequalis Pau-

H

fania

fanas ne quidem homines in Delo exstare scribit, praeter Athenienses, *εἰ τὴ ἱερῆ τῆν Φρεσάν δηλίαν γε εἶνεκα qui templum custodiant & ludos Delios obeant*. Sic enim interpretor, quae ab aliis perperam cohaerentia reddebantur. Isque adeo qui Hadriani in Graecos beneficentiae non immemor erat, nihil vsquam de eius in Delum studio praedicat. Confirmat id quoque meam sententiam, quod, qui in urbium monetis erudite sunt versati, numum Delium sub Caesaribus percusum non meminerunt se videre. Inopem vero terram, quae id genus mortimenti non vulgaret! Me non fugit, quod Spanhemius ad Callimachi hymnum in Delum & Holstenius ad Stephanum Byzantium, ex Pyrrii Ligorii schedis adferunt, numos ab Deliis inscriptos Antonini Pii, M. Aurelii Philosophi, L. Veri, Commodi nominibus, sed ne quid de Pignorii fide dubitem, certum mihi est, eos numos ad Delium Boeotiae oppidum referre. Scylax Caryandensis, Strabo, Pausanias & Stephanus urbem inter Tenagraeos sitam monstrant. Plutarchus autem testatur in Pelopida, Boeotos Delo controuersiam fecisse, quod apud se natum Apollinem dicerent. Nimirum & ibi nomen Deli & templum Apollinis, ab eo tempore cum Athenienses ex Delo ciues veteres exterminassent, exstiterit. In ea sententia confirmor, quod numi ΔΗΛΙΑΤΩΝ inscribuntur. Id nominis Delii numquam habuerunt, tam celebrati omnibus historiis. At enim ex Delio Boeotiae ciues Δηλιῆς a Stephano adpellantur? Malim equidem credere, fugisse id gentile Stephanum, aut ab Hermolao Byzantio fuisse praetermissum, quam Delios in numis suis maluisse nomine abuti nouo, cum tam noti inter omnes essent illo veteri Deliorum. Numi ΔΗΛΙΩΝ inscripti nomine complures exstant, ab Harduino etiam obseruati, sed ante Mithridaticam cladem percusi.

Obiciunt se mihi magna nomina, quorum auctoritate commoueor, cum Hadriani imperio restitutam Delum & referendas ad ea tempora Deliacas inscriptiones contendunt. Iosephum dico Scaligerum, Jacobum Sponium, Ezechielem Spanhemium & Henricum Doduellum. Istos antesignanos hi duo sine controuersia sunt secuti. Sponius cum inscriptionem Deliacam non integram & corruptiorem sua culpa (vt plerumque in aliis ei accidit) euulgaret, in qua legebat ΔΗΜΟΣ ΑΘΗΝΑΙΩΝ de urbe, Athenis Nouis Adrianis, dicta, in insula Delo, Scaligerum secutus cogitauit, Harduino intempestiue reprehenso, qui *VI ANTIOΧΕΩΝ ΤΩΝ ΕΝ*

ΠΤΟ

ΠΤΟΛΕΜΑΙΔΙ fuerat interpretatus, Antiochenſium Ptolemaide commorantium, eodem modo in quibusdam Gruterianis inſcriptionibus ΑΘΗΝΑΙΩΝ ΤΩΝ ΕΝ ΔΗΛΩ explicabat. Sponium ignarum Graecae linguae nihil moror. Spanhemius & Doduellus me mouent. Hic in eruditiffimo opere de cyclis, cum ἀρχόντων indieem confignaret, Phaedriam illum ipſum ex Sponii inſcriptione Archontem incertae aetatis, poſt Hadrianum tamen fuiſſe opinatur. Spanhemius in Callimachi Delum, eis, quae Sponius dixerat, aſſenſum praebet. Enimvero ex noſtra inſcriptione quam clariffime inferius aperiam, reprehendendum Harduinum non fuiſſe. Ex Sponii autem inſcriptione idem adeo liquet, vt nihil ſupra. In ea enim Patron dicitur perſuaſiſſe collegio Tyriorum mercatorum, vt ad Senatum populumque Athenienſem mitterent legationem, qua inſtruentibus Herculis templum quandam gratiam impetrent. Eſt hoc loco inſcriptio perquam mutilata, praeterea, vbi integra eſt, a Sponio non intellecta, ſed reſtitui nullo negotio poteſt, & ſi nihil in ea emendem, tamen ſatis apparere cenſeo, Athenas Atticas, non Delias, nescio quas, nominari. Neque Phaedrias Deliorum archon fuit. Aequae non ac in alia inſcriptione inter Oxoniienſia monumenta Zenon, tamenſi Doduello hoc quoque aliter videtur. Archontem, a quo annorum cognomina ducerentur, Athenienſes in prouincias numquam miſerant. Eſt ergo Ο ΔΗΜΟΣ ΑΘΗΝΑΙΩΝ in Sponii inſcriptione populus Athenienſis ex Attica, cuius beneuolentia Tyrii utebantur, ad quem legatos mittebant, qui *ψηφίσματα* Deliorum probare debebat, ſi publice proſcripta exſtare vellent. Pugnata tamen Sponius & Stephanum adfert auctorem ſententiae ſuae. Enimvero is locus omnino mendofiſſimus exiſtit, cum conſtet Athenas Atticas, Hadrianas eſſe dictas, ob munificentiam Caefaris, qua magnam vrbis partem reſtituit nouas Athenas vocatam. Olympium quoque intra Athenas fuit, quod Spartianus teſtatur Hadriano fuiſſe conſecratum, cum, vt ex Strabone & Liuiio tenemus, a Perſeo imperfectum fuerat relictum. Salmaſius adeo caeſpitat, vt integritati huius loci nec fidat, nec medeatur. Fidem ſaltem illis inſcriptionibus aſſerere inſtituit, quas ſupra iam expoſui. Quid ſi ſic aut in eum modum Stephanus ſcripſit? ΟΛΥΜΠΕΙΟΝ ΤΟΠΟΣ ΕΝ ΔΗΛΩ, ΟΝ ΕΚΤΙΣΑΝ ΑΘΗΝΑΙΟΙ ΧΡΗΜΑΤΩΝ ΑΔΡΙΑΝΟΥ (εἰς τῆς εἰς ἑαυτὴς εὐνοίας χραίμενοι μερίδα τῆς πόλεως) Νέας Αθηνῶν Αδριανῶς ἐκάλεσαν. Sunt eiſmodi multa in Stephano omiſſa.

Concedam igitur *Ὀλυμπιέιον* siue palatium siue porticum templi in Delo, aedificatum fuisse Hadriani opibus, sicuti Philippi Macedonis & Mithridatis Euergetae munificentia in quibusdam ruderibus eius insulae a maioribus nostris fuit perspecta: quod & nomen ipsum indicat, vt *Ἀσκληπιέιον, Ἡρακλείον, Ἀνακείον, Ἀπολλωνίον* attamen vt urbem fuisse credam, vt eam incrementa cepisse, vt Athenas nominatam fuisse mihi persuadeam, nulla idonea auctoritate inducor. Nec potuit tam parua insula, vt eam hodie Turnefortius & ante eum Sponius repererunt, duas vrbes capere, Atheniensium alteram, alteram Deliorum: Verum ne sic quidem Stephanum scripsisse credo, ac *ἐν Δήλῳ* potius irrepsisse & expungendum esse. Achaiam ab Adriano restitutam Pausanias & complures numi memorant, quorum vnum eximium Erizo exhibet: de Delo nihil tale vsquam inuenio, quod in Adriano, illa parietaria herba, mirum sit.

Manet ergo, ante Mithridaticum bellum plerasque omnes Deliorum inscriptiones apud Gruterum, Reynesium, Montefalconem, Turnefortium, Sponium & hanc praesertim, quam interpretor, collocatas fuisse. Jam hoc quoque constat, quod Strabo prodidit, euerfa Corintho mercatum omnem Delum se recepisse, *mercatum ibi*, vt Plinii verbis vtar, *toto orbe celebrante*. Euerfa Corinthus A. V. C. lbc viii. Olympiade clviii. anno tertio. At Mithridates Delum occupauit Cornelio Sulla & Q. Pompeio Rufo Coss. vt ex Appiano teneo, hoc est, A. V. C. lbc lxxvi. secundum Idatianos & Anonymos factos Olympiade clxxiii. ineunte. Intra hos octo & quinquaginta annos oportet hanc inscriptionem, quam illustramus, factam fuisse. Fateor longum tempus, in quo difficile sit, certum annum inuenire. Sed mirum id non sit, cum ab Atheniensibus tanto tempore, nedum ab Deliis, nihil memorabile fuit gestum, vnde aliqua temporis nota duci possit. Saltem arbitror, nec illico post Corinthum deletam, nec paucis ante Mithridaticum bellum annis, marmor hoc inscriptum fuisse. In tanta scriptorum inopia, coniecturam quamcunque non adspernabere. Inuenio apud Appianum, Mithridatem viginti millia hominum, plerosque Italos, in Delo obtruncasse. Idcirco demamus saltem viginti annos, quibus tanta frequentia in eam insulam conuenire potuit, vt maior pars hominum in ea Romani essent. Romanos non inuenio ante Corinthum deletam in Delo versatos, nec enim isthaec ibi mercatura, quae postea fuit, nec omnino Romani longinquas

quas merces magni aestimabant, vt Velleio Paterculo dignum memoria sit visum Mummii ruditatem in aestimandis signis Corinthiis prodi. Antiquissima memoria Romanorum qui in Delo essent, est in Oxoniensibus marmoribus cum L. & C. Pedii Romani Marcum cognatum Ptolemaei Euergetae Apollini & Dianae consecrant. Quod facit, vt Deliacam esse inscriptionem coniciam. Euergetes hic Physcon est, cuius in alio Deliorum monumento quoque mentio exstat. Et quia simul Cleopatram cum Ptolemaeo nominatam inuenio, offendere possum, post Corinthum deletam factum titulum esse. Euergetes enim Cleopatram in matrimonium duxit, Justino teste, Philometore mortuo & Aegypto, ex qua eiectus fuerat, eidem restituta, anno post Corinthum deletam non integro. At Cleopatram post trium liberorum puerperium interemit. Justinus filiam memorat, Porphyrius in Eusebianis Graecis duos filios. Annum quo interemerit, nusquam reperio notatum, nisi Porphyrii isthuc eo pertineat. *επει κατα το δεκατον ετος της αρχης της Φιλιας των γονεων απεσφαξε.* Iam postremus ei labor erat, ducta in matrimonium filia, Cleopatrae insidiari. Puella nouem aut decem annorum in Aegypto matura viro esse poterat. Demamus adhuc octo annos, ante bellum Mithridaticum, si ita lubet. De triginta reliquis aliquid carpere multo est difficilius, opusque hic Alphonso Vignolio sit, cuius accurato sagacique calculo reperiri aliquid melius hodie, aut omnino non possit. Admonebo eam pro nostra coniunctione, vt eam rem cogitandam sibi sumat.

Atheniensium Delum esse factam pace in Achaia post excisam Corinthum conciliata, Polybio in excerptis de legationibus credimus. Itaque cum Strabo scribit, Athenienses Delo potitos *οτε συνεσηκει η Κορινθος Corintho restituta*, pessime eo loco habitus est. Pati hanc interpretis oscitantiam Casaubonus potuit: cum instaurata Corinthus C. Caesare V. & M. Antonio Coss. vt Dio & Strabo ipse sciebant, & tor numi celebrant, Mithridaticum autem bellum, quod postea fuisse Strabo dicit annis quinque & quadraginta ante eos consules fuit. Nihil autem rectius est, quam si interpreter, postquam *Corinthus auctor defectionis Achaicique tumultus* exstitit. Vti videlicet Velleius Paterculus dixit: *vniversa instincta in bellum Achaia, maxime Corinthiis in arma instigantibus.* Itaque non modo auersantem nostris opinionibus Strabonem non habemus, sed etiam consentientem.

Is quoque ab eo tempore ἐπιμελητὰς ab Atheniensibus in Delum missos prodit, qui sacra & mercaturam procurarent. Dicebantur autem ἐπιμελητὰι, qui alicuius rei curam gererent, vt apud Theocritum, qui ἐπίστατοι τῶν θερικῶν καὶ ἐργαστοῦ ἐσσι. Aristophanes in Pluto sic ludit, vt Lycophantam omnium rerum, quae publice priuatimque fierent, ἐπιμελητὴν vocaret. Enimvero vt procuratoris vocabulum apud Romanos, ita & isthuc praescriptionem quandam officiorum patiebatur. Erant Athenis ἐπιμελητὰι τῆ ἐμπορίας diuersi ab ἐπιμελητὰις τῶν μυστηρίων, de quorum officiis Etymologicum magnum & Harpocrationem legentes, plura a nobis dici non requirent. In prouincias Athenienses tali cognomine mittebant, qui eas gubernarent. Ex quibus alii alias res, pro diuersitate prouinciarum, commendatas sibi habebant. In Delo, vt dixi ex Strabone & vt ex hoc titulo liquet, mercaturae ludorum curam gerebant. Vt Theophrasto habitus honor est, quod erga deos pietatem, erga mercatores aequitatem praestitisset. Pietatis in deos erat, sacra caste accurateque procurare & laesa vlcisce. Vt, cum Philippus Amyntas, sacrilegium Delphicum persecutus, sacrae aedi auxilio fuerat, διὰ τὴν εἰς θεοὺς εὐσεβείαν apud Diodorum Siculum celebratur. Vbi in mentem venit, quod Demosthenes oratione aduersus Philippi epistolam scribit, Athenienses multo plures ἀφάρμακας πρὸς τὴν τῶν θεῶν εὐνοίαν habere, quam Macedonas, inde etiam feliciores esse. Quocum in Panathenaicis Isocrates & Aristides hactenus congruunt, quod Athenienses religionum obseruantissimos praedicant. Cum autem deos legimus in Delica inscriptione, Apollinem & Dianam cultos recordamur. Cellarius memoria credo lapsus in panegyricum Latini Pacati commentans, Castores quoque in Delo constituit. Pacatus, geminis, inquit, Delos reptata numinibus. Non vtique Castoribus, sed Apolline & Diana. Inuenio autem Venerem quoque, Lucinam, Latonam, Herculem cultos in ea insula, quos vniuersos Aristophanes ἐν θεομφορίας vocauit θεὸς καὶ θεὰς Δηλίας. Etiam Aegyptia numina ibi culta fuisse, in quadam Oxoniensium marmorum inscriptione reperias. Sed Memphitica sacra post Antonii in Aegypto imperium, adytis primum suis egressa orbem terrarum peruaferunt. Vbi APETHENEKEN exstat, Pridausius perperam legit ΕΥΝΟΙΣ. Omne genus meriti ἀρετὴ in titulis comprehendit, qua voce idcirco nihil est frequentius. Καλοκαγαθίας autem voce praeceteris Athe-

Athenienses delectatos Helladius Besantinus scribit, habetque aliquid cum ἀρετῆς significatione commune. Sic & Maximus Tyrius vtrumque coniunxit: ἀρετῆς καὶ καλοκαγαθίας ὁ ἐλεγχος εἰς, ἢ πρὸς ταῦτα αἰδώς.

Venio ad eam partem inscriptionis, in qua dicendum mihi est de iis, qui statuam Theophrasto collocarunt. Eadem opera ostendam Athenienses urbem nullam ab Delo diuersam in insula habuisse. Est titulus inter Oxonienses: ΑΘΗΝΑΙΩΝ ΚΑΙ ΔΗΑΙΩΝ ΟΙ ΚΑΤΟΙΚΟΥΝΤΕΣ ΕΝ ΔΗΛΩ ΚΑΙ ΟΙ ΕΜΠΟΡΟΙ ΚΑΙ ΝΑΥΑΚΗΡΟΙ. In eo κατοικῆν habitare & incolere significat, sine vlla ciuium peregrinorumque diuersitate. Cum autem κατοικῆν de peregrinis tantum vsurpatur, & παρεπιδημῆν oppositum ei est, nequaquam, vt Patricius Iunius praecepit, idem vtrumque significat. Etiam disertius ex inscriptione nostra intelligo, Delios ciues ab Atheniensibus Romanisque incolis diuersos fuisse. Belli Peloponesiaci decimo anno testis est Thucydides & Pausanias, ex insula eiecisse Delios, quorum perfidiam metuebant. Anno tamen vix vertente admissos rursus eosdem Thucydides scribit, quod, post multas clades consultus Delphis deus restituendos censuerat. Deinde cum ex Polybio docere possum, ciues veteres ex Delo aufugisse, Delo Atheniensibus ab Romanis tradita, tum vero ex eodem colligas, pactos cum Atheniensibus pacem, ex Achaja rediisse. In inscriptionibus Oxoniensibus aliisque reperio δήμον Δηλίων, ex quibus vnam paullo emendatiorem ex mea coniectura do.

ΔΗΜΟΣ ΔΗΑΙΩΝ ΚΑΙ ΕΙΝΑΙ ΑΥΤΩ ΓΗΣ ΚΑΙ ΟΙΚΙΑΣ ΕΓΚΤΗΕΙΝ ΚΑΙ ΑΥΤΩ ΚΑΙ ΕΚΓΟΝΟΙΣ ΤΗΡΕΙΝ ΔΕ ΑΥΤΩ ΚΑΙ ΤΑΛΛΑ ΠΑΝΤΑ ΟΣΑ ΔΕΔΟΤΑΙ ΚΑΙ ΤΟΙΣ ΑΛΛΟΙΣ ΠΡΟΞΕΝΟΙΣ ΚΑΙ ΕΥΕΡΓΕΤΑΙΣ ΤΟΥΤΕ ΙΕΡΟΥ ΚΑΙ ΔΗΑΙΩΝ κ. τ. λ. Praeter Delios alii ξένοι in insula versabantur, quorum cura habenda erat, tum religionis, tum commodorum causa. Deos enim omni aduersus hospites iniquo facto aut tristiori fronte ad perniciem & interitum eius qui laesset, commoueri crediderunt. Nam etiam terras humana forma obire, hominumque officia explorare, Homerus, vt rem testatam, prodidit. Plenae sunt fabulae hospitibus diis, vt, quod Iouem Neptunum, & Mercurium ab Hyriaeo acceptos esse ex Euphorione Scholiasta Homeri narravit, cuius paene singula verba hodie ἐν ἀπίσαις Palaephati reperias. Quamobrem mirum non est, quod Lycaones a postolos pro diis acceperunt. Quod autem minus constan-

tes

tes iisdem fuere, id ex gentis genio accidit. Homerus id iam in Pandaro Lycaone, vt ἀπίστον καὶ ἐπίορκον, quod Scholiasta eius ex Aristotele quoque annotat, efformauit. Quatuor ξένων genera Eustathius se comperta scribit habere, προξένων, αἰσοξένων, δορυξένων καὶ ἰδαξένων. Nullum tamen ex eo numero ad nostrae inscriptionis sensum applicari potest. Hospitalia illa nomina sunt, cum hoc peregrinitatem significet. Nam, ne quis putet, αἰσοξένης huc pertinere, Pausanias ἐν λέξει καὶ ἱστορίᾳ eos explicat, ex vna vrbe oriundos, alibi ciues esse, vt Corinthii Glaucus Hippolochi F. Bellerophontis N. Alii apud Eustathium ei adfertiuntur, inter quos etiam Aelius Dionysius est. Nihil hoc eius peregrinitatis habet, vt, cum Diodorus Sículus scribit, Μεγαλοπόλιτας ἀδύρῳ Πολυπερχόντην κέπῃσσι ἀρμα τῶν πολιτῶν καὶ ξένων καὶ δέλων ἀριθμὸν ποιησάμενος, aut vt Gregorius Nazianzenus ad plebem Anastasiae: Κωνσταντινῆ πόλις τε καὶ ξένων ὅσον ἐνδημον. Sed quo haec persequor, quae omnes norunt? Hi igitur aut κατοικῶντες aut παρεπιδημῶντες erant. Isti in vrbe aliqua degebant, aliunde profecti, alibi ciues, de quibus Caius Ictus: *incolae & his magistratibus parere, apud quos ciues sint: nec tantum municipali iurisdictioni in vtroque municipio subiectos esse, verum etiam omnibus publicis muneribus fungi debere.* Παρεπιδημῶντες alibi similiter ciues erant, quam vbi versarentur, at nusquam alibi sedem & domicilium habebant, redituri domum, si liberet. Sic apud Diodorum Philippus edidisse spectaculum Olyntho capta dicitur, inque iis ludis πολλὰς τῶν ἐπιδημῶντων ξένων conuiuio adhibuisse. Plautus in aulularia complectitur haec genera: *optati ciues, populares, incolae, accolae, aduenae omnes date viam, qua fugere liceat.* Ex quibus illustrantur, quae Paulus scripsit de caelesti πολιτεία & de peregrinitate hac nostra, cui etiam profani homines & philosophi vitam assimilarunt. Christiani veteres se ξένης appellabant, estque virtus a Macario ceterisque ascetis ξενίτεια nominata, mentis in hac peregrinitate ad caelestem patriam λογισμὸς.

Sunt ergo, vt eo redeam, Athenienses ξένοι in Delo, qui aut mercaturae causa, in eam insulam profecti essent, aut domicilia quoque inter Delios ciues haberent. Apud Athenaeum ex reditibus Deliacis diues Atheniensis celebratur. Praeter eos erant Romani, vt illud Apuleii de Larissa hic possis vsurpare: *negotioso aduenae Romanam fuisse frequentiam.* Aristides in Romam, ex omnibus terris & maribus Romam aduehi scribit, ὅσα χῶραι ἑκασταὶ φέρουσι καὶ ποταμοὶ

μοὶ καὶ λιμένας καὶ τέχνας Ἑλλήνων καὶ Βαρβαρίων. Romanos negotiatores & Orobius memoravit in tropaeo victis Atheniensibus Mithridatis factioni in Delo opitulantibus: τὰς δὲ θανάτους ἔχει ξένης τάφος οἱ περὶ Δῆλον μαρνόμενοι τὴν ἱεράν ὅτε νῆσον Ἀθηναίων Κεραϊκόν. Sed qui reliqui ξένοι erant? Loca, quae diis consecrata aut ludos, aut spectacula, aut oracula, templa & alia sacra praebebant, hospitalia vocabantur. In primis a Pindaro hoc didici, qui ἐυξενίαν talium locorum passim concelebrat. In Pisa πολυξενιώτατον ἑωμὸν collocat, de quo neminem taedeat Scholiastam eius legere. Itaque rationem frequentiae in Delo teneo. Vt Pindarus Aeginam suam saepe, ita Papinius Stadius *hospitam Delum gentibus*, ita Pindarus rursus Apollinem Cyrenis cultum δάλιον ξένου vocavit: quod & deum ibi commorari & eius causa gentes confluere crederent. Non enim solum ex Cycladibus in Delum instituebantur sacrae legationes, sed a Messeniis, ab Hyperboraeis, Cyrenaeis, tota Graecia, unde & paeanes ab Callimacho Alexandrinis, a Pindaro Ceis scriptos accepimus. Bacchilides quoque paeanes apud Scholiastam Callimachi & nescio quis veterum in Aristotelis Rhetoricis memoratus, scripserunt. Atheniensium maxime intererat, ut quam frequentissima Delus esset, itaque exemplo superstitionis suae praeibant, missis eodem θηλιασάς. Sed minima haec frequentia fuisse videtur, prae ea, quam mercatores fecerunt. Thucydidi credo maiorem religionem Deli fuisse, cum Ionii eam tenerent, quam cum pulsi, veluti in vicem, Ephesi cultum Dianae instituerunt. Bello quoque Peloponesiaco eiectione in insula Delii, secum, Plutarcho referente in libro de oraculorum defectu, religionem rapere; quorum fraude, opinor, Delphicum oraculum Graecis iussit natale Apollinis solum quaerere, quod apud Tegyraeos videlicet inueniebatur, ad quos Delii profugerant. Sic enim solitudinem religionis & hominum Delo, non minima Atheniensium iactura, allaturos sperabant. Semus Delius apud Stephanum Byzantium in Lycia, Zoetere Atticae, in Tegyra Boeotiae, in Delo, discrepantibus sententiis, natalem Apollinis poni prodidit. Quod ex illo paeane quoque constaret, si integer ad nos pervenisset, δαλογενές εἶτε Λυκίαν, plura non habet Aristoteles. Fanum utique Ephesium *maximum pulcherrimumque orbis terrarum*, ut Lucius Ampelius habet, religiones omnes ab Delo Delphisque ad se auertebat, de qua re celebris est apud Tacitum inter Delios Ephesiosque controuersia.

Maior igitur peregrinorum pars, mercatores fuerunt. Proditum

I

ditum est, infulam sterilem iacuisse & indigam rerum omnium, quae non aliunde adueherentur. Idcirco & sacra reperta sunt, ut inopia superstitione expleretur. Religio mercatus attraxit. Spanhemius quidem obnititur, Euripidis in Iphigenia Taurica inductus auctoritate: sed nihil probari ab eo amplius video, quam, quod non omni gramine caruerit, nec rupes saxumque tota fuerit. Orphicus hymnus in Latonam *κραναήν* vocat Delum, quod & Pindarus habet, hoc est, si Scholiastae eius auscultamus, *τραχεία και πετρώδη*. Callimachus *ἀτροπον* dixit, hoc est *ἀγεώργητον και μη τρεπομένην και μεταβαλλομένην εν τῷ ἀρξοδαί. τραχεία γάρ.* Quae Scholiastae interpretatio, refragante, quantum volet, Spanhemio, mihi magnopere placet. Nam nec Spanhemius, nec Anna Tanaquilli loci eius verum sensum mihi cognouisse videntur, cum Callimachus ait:

*κείνη δ' ἀνεμώεσσα και ἀτροπος, οἷα θ' ἀλιπλήξ
λιθείης και μάλλον επίδρομος ἥπερ ἴπποις.*

Recte quidem & mergum & equum interpretantur, sed *οἷα θ' ἀλιπλήξ*, aliquid amplius requirit, aut ego omni penitus sensu careo. *Λιθείας* ego piscatores, *ἴπποις* aratores explico. Leonidas Tarentinus in quodam epigrammate piscatores mergos vocat & Lycophron eodem nomine Mineruam, quod nominis eam Tzetzes censet a nauibus habuisse, quas prima aedificare instituit. Sic igitur interpretor:

*Delus oportuna ventis, nec arari potest, utpote quae mari septa
Piscatores, quam aratores admittere malit.*

Cinthus mons totam fere infulam occupat, vrbe in planitie exigua ad portum posita. Altus is & asper, ut ad cultum nihilo aptior fuerit, quam lapis. Nec si hodie solo fere aequatus est, idcirco lapidinis caret. Antiquitus quoque sic incultam eam infulam fuisse, ex hymno Homeri (si Thucydidi credas) aut Cynaethi Chii vnus Homeridarum (ut ex Eustathio in Homerum & Scholiasta Pindari in Nemeis tenere mihi videor) perspicuum est. Inducit enim Delum querentem, quod aspera esset, cui respondet Latona, nec pascuis nec agricultura celebratam, *ἐπὶ ἄτοι πείαρ ὑπ' ἕδας*, at religione & sacrificiis Apollinis locupletem fore. Scilicet haud obscure indicat, veteres, si quas regiones squalidas & incultas ab natura accepissent, sacrorum institutione locupletasse. Haud enim parua gens *περιηγητῶν* ducendis circa omnes vicus & loca vrbium peregrinis victum quaerebat. In quos Lucianus in Philopseude iocatur, si nullae essent fabulae in Graecia, antiquarios illos fame esse perituros,

turos, μηδὲ ἀμμοθητῶν ξένων τ' ἀληθῆς ἀκέρω θελησάντων. Quanta deinde multitudine elocandis aedibus, vendendo emendoque oportunitatem in tanta frequentia nanciscebatur. *Δηλιακὸν ἔμπορον* Ἀρχέλαον Plutarchus in Sulla memorat. Iuuabat mercaturam portus oportunitas & quod Strabo adiicit *ἀτέλεια τῶ ἱεροῦ*. Non quod sine vectigali omni Delus esset, sed quod Romanis nullum penderet, ab peregrinis autem ipsa acciperet. Id excerptis Polybii de legationibus acceptum refero, in quibus Rhodii queruntur, quod portuum vectigal libertatemque de portorio statuendi amisissent, cum Delios Romanus Senatus *ἀτελεῖς* esse iussisset. Coniectando id consequimur, quod dictum paullo ante est. Vt Nicephorus Gregoras scholiis in Synesium prodit, *μετοίκιον κατοικίας ἕνεκα* peregrini duodecim drachmas quotquotannis dabant Athenis. Hos reditus in Delo etiam fuisse, verosimile est. Illam immunitatem, vt ante Atheniensēs, Demosthene aduersus Leptinem auctore, impertiebantur Delii, quibus bene cuperent. In inscriptione Oxoniensium marmorum memorata, si paulum restituatur: ΕΙΝΑΙ ΔΕ ΚΑΙ ΑΥΤΟΝ ΠΡΟ ΞΕΝΟΝ ΚΑΙ ΕΥΕΡΓΕΤΗΝ ΤΟΥ ΙΕΡΟΥ ΤΩΝ ΔΗΛΙΩΝ ΚΑΙ ΑΥΤΟΝ ΚΑΙ ΕΚΓΟΝΟΥΣ ΕΙΝΑΙ ΔΕ ΑΥΤΟΙΣ ΑΤΕΛΕΙΑΝ ΕΝ ΔΗΛΩ ΚΑΙ (πολιτεῖ) ΑΝ. Haecenus restitui male habitum marmor.

Jam dicendum est, qui mercaturae causā Delum adierint. Primum latrones ex Cilicia & Syria mercatum mancipiorum in Delo instituerant, vt etiam in prouerbium abiret. Sed eos hoc lapide haud memorari intelligo. Praestabant istis videlicet mercatores Tyrii, qui in inscriptione Sponii collegium quoddam & sua instituta habuisse memorantur. De his quoque Criton Comicus apud Athenaeum:

Φοίνικα μεγάλα κύριον θαλατῆς
 Ναύκληρον ἐν τῷ λιμένι ποιήσας ἄπλην
 Καὶ φορμιῶσαι ναῦς ἀναγκάσας δύο
 Εἰς Δῆλον ἐλθεῖν ἠθέλησεν ἐκ Περσῶν

Is tria bona insulam habere dixit: *εὐφρον ἀγοράν, παντοδαπὸν οἰκῆν ὄχλον, αὐτῆς τε παρασίτους τῶ θεῶ τῆς Δηλίας*. Non autem tantum Tyrii, verum Sidonii quoque huc proficiscebantur & omnino Phoenices omnes, quos *ἐμπορικωτάτες* Eustathius vocat, memoriae prodens, non tantum artis fabrilis, sed texendi etiam *πέπλους* Σιδονίης scientes Sidonios fuisse. Erant & tingendi τὰ μήλαθρα arte in primis artifices Phoenices. Quis nescit? Ab Eustathio alibi *πορφύρεοι, ἰσθαφαῖς, ὑακίνθυνα, φλόγινοι, θαλασσοειδῆς* colores memorantur.

Omnes ex muricibus, vt Vilelmus Cole Bristoliensis sagaci indagine ante annos admodum quadraginta rursus inuenit. Eius autem artis nec alii ignari erant, praesertim Cyprii ab Athenaeo & Eustathio in texendis πεποικιλμένοις laudati. Cythera etiam πορφύρεσσα, teste Eustathio ad Homerum & Dionysium Periegetem, fuit vocata, διὰ τὸ κάλλος τῶν ἐν αὐτῇ πορφύρων. In actis apostolorum Lydia πορφύρεως πόλεως θεατέρων cognomine exstat: cuius Theatryra, genere, vt puto, Lydia, vnde ei nomen fuerit. Est in eam rem Eustathii locus, quod Caria Lyciaque oriundae praestent arte tingendi eboris Φοινικῶ χρώματι. Claudianus de raptu Proserpinae: *non sic ardet eburnum, Lydia Sidonio quod foemina tinxerit ostro.* Achilles Tattius in eroticis: καὶ ἐμιμῆτο πορφύραν οἶαν εἰς τὸν ἐλέφαντα λυδία βάπτει γυνή. Heliodorus in Aethiopicis δάπεδος καὶ ἑρωμῶν πεποικιλμένεσ Σιδονίας τε καὶ λυδίας ἔργα χείροσ.

Quanta fides Graecorum ψηφισμάτων fuerit, ex Ciceronis oratione pro Flacco constat. Attamen Deliis credamus, si decedenti insula Theophrasto is honos fuit habitus. Hoc autem **RE-NOMENON** significat. Potest tamen & *facto primum*, significare. Parum refert, quanta fides sit. Cenotaphium utique hoc marmor non fuisse, sed statuam, ex superiori parte cernas. Cenotaphium aequae non licuit in Delo collocari, ac mortuum condi. Statuae autem quo maiorem ornatum sacris locis adferebant, quanto maiori artificio factae, quanto grandiori pretio emtae, tanto gratiora diis habebantur. Omnia enim in his sacris composita erant ad celebritatem admirationemque conciliandam, qua multos alluci sciebant. Id artes aluit maxime, idque est adeo, quod in titulo legimus

MUS ANEΘΗΚΑΝ ΑΠΟ ΔΕΛΩΝΙ. Vale. Regiomonte
clo lo cccxxi. iv. Cal. Junii.

